


Abodat Haššem Haššoken Bemikdaš Sive Cvltvs Divinvs Veteris Testamenti Ad Stata Loca Restrictvs

lenae: Litteris Ritterianis, [1722]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855091690>

Druck Freier  Zugang







85

48. a. 5.

Fa 1092 (85.)





עבודת השם השכן במקדש

SIVE

**CULTVS DIVINVS
VETERIS TESTAMENTI
AD STATA LOCA RESTRICTVS**

QVEM

INDE A PRIMIS EIVS AVSPICIIS AD ERECTVM
VSQVE TABERNACVLVM

DELINEATVM

RECTORE **MAGNIFICENTISSIMO**
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM, ANGA-
RIÆ, GVESTPHALIAE, RELIQVA,

PROBANTIBVS SUPERIORIBVS

IN

ACADEMIA IENENSI

D. XVI. MAII. CIO IO CC XXII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

M. IO. GOTTFRID. TYMPE

BIDR. MAGDEB.

CVM

RESPONDENTE

HENR. RICHARD. MAERTENS

IERSTADIO - HILDESIENSI,

SS. THEOL. CVLT.

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS.

24

23.

22.

21.

20.

CULTVS DIVINVS
VETERIS TESTAMENTI
AD STATA LOCA RESTRICTVS

INDE A PRIMIS HUIS AVSPICIIS AD ERECTVM
IN THEOLOGICO KATHEDRALE MESSORI PARL.
GO. ORDINARIO BESSERITVS DVCI SAHO HILD.
LECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SARINISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO
THANAE AC D. O. M. T. N. O. DITIONIS CIVIVM

GAVILIELMO HENRICO

DACE SAXONIE, IVLACI, CLIVIAE AC MONTIVM, ANGL.
RIS. GVESTHALLIE REILOVA

ACADEMIAE HENRISII

IN
ACADEMIA HENRISII

IN HUIUS MESSORI PARL. 1772

M. F. GOTTFRID. TYMPE

GALLVM PROFISOR MAGDRE. TOTINGOV AC

DEMAE REGENE SVBSEMO

RESSON. D. N. T. E

HENR. RICHARD. MAERTENS

HERSTADIO. HILDESHEISI

IN THEOL. CALT.

IN H. A. S. LITTEBIE RITTEBIAE

VIRIS
MAGNIFICIS AC SVMME REVERENDIS
IOANNI FRANCISCO
BVDDDEO

SS. THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PVBLI-
CO ORDINARIO, SERENISSIMO DVCI SAXO-HILD-
BVRGHVSANO A CONSILIIIS ECCLESIASTICIS, ET GO-
THANAE AC ALTENBVRGENSIS DITIONIS CIVIVM
IN ACADEMIA IENENSI INSPECTORI

NEC NON

IOANNI ANDREAE
DANZIO

SS. THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PVBLI-
CO ORDINARIO, LINGVARVM SACRARVM AC ORIEN-
TALIVM PROFESSORI SENIORI, TOTIVSQUE ACA-
DEMIAE IENENSIS SVB-SENIORI

24

23.

22.

21.

THEOLOGIS CONSUMMATISSIMIS
OB SUMMAM PIETATEM SUMMAMQUE DOCTRINAM
IMMORTALI LAUDE DIGNISSIMIS
ET OB MAXIMAM MERITORUM MULTITUDINEM
QVIBVS
ECCLESIA IESV CHRISTI INSIGNITER AVCTA
MV SARVM ORBIS QVA PATET ILLUSTRATVS
ET CVM PRIMIS
ILLVSTRIS SALANA MIRIFICE ORNATA EST
VIRTVTIS SVAE FAMAM
AD SEROS POSTEROS ET LONGE VENTVRA SECVLA
PROPAGATVRIS
PATRONIS PRAECEPTORIBVS AC HOSPITI
AETATEM PIA MENTE VENERANDIS
VITAM
INCOLUMITATEM
FELICITATEM
SEMPER SVI SIMILEM ET MINIME INSTANTEM
HVMI LIME PRECATVR
AC
TANTIS NOMINIBVS
IN ANIMI DEVOTISSIMI
SUMMAEQUE VENERATIONIS
MONVMENTVM
HASCE LABORVM SVORVM PRIMITIAS
SACRAS DEVOTASQUE ESSE IVBET
IO. GOTTFRID. TYMPE.

I. N. I.

S. I.

Quantum momenti trahat intimior veteris ecclesiae cognitio, & quantum inde luminis atque praesidii ad sacrosanctam nostram religionem possit adferri, obscurum nemini esse poterit, nisi quem intima cognatio, nexusque necessarius, quo utraque gratiae foederis oeconomia continetur, omnino fugit. Quum enim hic nullum aliud intercedat discrimen, omnia dum circumspicimus, quam quod diuersa temporum ratio vnica isti aeternaeque veritati diuersam modo faciem induxerit, & olim quidem eandem reapse, sed e longinquo velut positam, variis inuolucris tectam, variisque vmbri obscuratam exhibuerit, quam nunc, disiectis omnibus nebulis, splendidiore plenoque lumine cuncta illuminantem intuemur: facile inde adparet, illam, qua nunc incedit vera religio, gloriam ac splendorem non plene posse intelligi, nec magnitudinem ejus rite aestimari, nisi pristinus ejusdem habitus subinde respiciatur; nec certius aut magis perspicuum aliunde capi argumentum, ad confirmandos bonorum animos, malorum vero reprimendos impetus, quam si ad oculum constiterit, perpetua successione inde a mundi exordiis, ea, quae Christiana placita praecipunt, deducta esse, & aeternae adeo veritatis. Quod quamuis alia omnia doctrinae salutaris capita abunde probent, cum primis tamen illud, quod externum Numinis cultum complectitur, latissimam atque vberissimam messem, plenius, ut par est, & curatius res omnes huc pertinentes euoluentibus, pollicetur. Quantumuis enim suos facile radios latius diffundat ingenuae libertatis istius gloria, qua hodie *VBIVIS LOCORVM* (a) *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* (b) h. e. *in solo spiritu & mera veritate* seiunctam ab omni prorsus rerum mundanarum apparatu, omnibusque vmbri solutam, sanctissimo Deo gratam offerre licet victimam (c): fieri tamen aliter nequit, quin noua tum velut luce perfusa adpareat, si tristior superiorum temporum conditio, quae omnem cultum diuinum, varia figurarum pompa vestitum, ad *CERTVM* aliquem ac determinatum locum restrinxerat, nobis paulo penitus introspectiatur; causaeque praecipuae, & genuinae rationes, quibus vterque status innititur, propius contendantur. Haec autem omnia, si satis fuerint peruia, insigne profecto robur rei Christianae, ipsique fidei nostrae fundamento, firmissime adstruendo,

A

(a) I Tim. II. 8. coll. Zeph. II. II. Mal. I. II.

(b) Juxta Joh. IV. 23. (c) Ebr. XIII. 15. 1 Petr. II. 5.

24

23.

22.

21.

non possunt non insimul adferre. Taceo, quod utriusque foederis monumenta rite, ut par est, intelligi nequeant, nisi intimiores istius recessus satis patuerint.

§. II. Et latissimus quidem cum hic aperiatur campus, in quo felicissimus ex omnibus partibus se ostendit prouentus: nobis tamen cultus diuinus, quatenus is ad certa loca olim erat restrictus, dignus maxime visus, quem paullo adcuratius consideraremus, tum maxime, quod fructum eo uberiorem promittat, quo arctius cum genuino omnis venerationis fundamento cohaeret; adeoque ad praecipua doctrinae Christianae capita mirum quantum conferat: & quod plurima ad ponderosum hocce argumentum spectantia nondum satis in lucem videantur protracta.

§. III. Nimirum nemini ignotum esse potest, qui hisce literis vel leuiter est adpersus, communem non Iudaeorum tantum, sed & Christianorum (d) sententiam, ipsorummet Talmudistarum (e) auctoritate munitam, ita hac in parte praecipere: priscæ antiquitatis tempora, quæ ab initio rerum ad legem vsque e Sinai latam fuere elapsa, nullis in hoc negotio circumscripta fuisse limitibus, nullique loco adstrictam pietatem tulisse; sed quouis in loco, seu proprio is fuerit destinatus arbitrio, seu forte quadam objectus, sacris rite licuisse defungi. Verum tabernaculo postmodum constructo omnem Israeliticæ quidem gentis (f) religionem deserto Dei mandato fuisse demum deuinctam. Attamen ne hujus legis eundem vsque rigorem perstitisse, sed terram promissam in-

gres-

(d) E quibus praecipue conf. SPENCERVS de L. E. rit. passim, & maxime L. I. c. VI. S. I. p. 103. & 108. qui & eo progredi non dubitat, ut cum THEODORETO, quem laudat, pios, & scopum legis intelligentes, cujuscunque xui, ab ejus obseruatione liberos pronunciet. L. I. c. I. p. 7.

(e) Quorum sententiam expositam vide in cod. SEVACHIM cap. XIV, 'עד שלח הוקם המשכן היו חכמות מותרות וגו' th. 4. 'משהוקם המשכן נאסרו חכמות וגו' th. 5. 'באו לגלגל הותרו חכמות וגו' th. 6. 'באו לשולח נאסרו חכמות וגו' והיא היתה מנוחה וגו' th. 7. 'באו לנוח ולגבעון הותרו חכמות וגו' th. 8. 'באו לירושלם נאסרו חכמות ולא היה להם עוד הותר והיא היתה נחלה וגו' h. c. Antequam erectum esset tabernaculum, fuerunt excelsa licita: postquam erectum est tabernaculum, prohibita fuerunt excelsa. Cum venerunt in Gilgal, licita fuere excelsa. Ubi venerunt in Schilo, prohibita sunt excelsa. nam hac erat quies. De qua ad mentem ipsorum Deut. XII. 9. Cum venerunt in Nob & Gibbon, permiffa fuerunt excelsa. Cum venerunt in Ierusalem, prohibita sunt excelsa, neque amplius sunt licita, nam hac erat possessio. De qua itidem Deut. XII. 9.

(f) MAIMON ad th. 4. l. c. ומותר לגוים עבשתי להקריב עולות

gressis, haud secus ac ante tabernaculum erectum, ubiuis pro lubitu offerre, si istud tempus quod Schilunte vigentem cultum diuinum vidit exceperis, licuisset. Donec tandem augustissimo templo, quod Ierusalymis erat, totius religionis Iudaicae centro velut ac neruo, omnis omnino Numinis veneratio in perpetuum rursus fuerit adstricta.

S. IV. Sed longe alia nobis haeret opinio. Videlicet persuasissimum habemus, stata semper fuisse, a primis inde veteris Oeconomiae initiis ad eius usque exitum, quibusuis veris Dei cultoribus, sacrorum loca, ad quae specialis Numinis venerandi in singulis manifestata praesentia, necessaria quadam copula, adeo omnem religionem cultumque diuinum restrinxerit, ut victimae, aliis in locis oblatae, non modo non litarent, precesque, nisi huc conuersae, Deo minime fuerint acceptae, sed ne idololatriae quidem, falsique cultus crimen vlla ratione potuerint effugere. Quod illi itaque ad solos restringunt Israelitas, idque ne usu quidem perpetuo; mea opinio ad totam veteris ecclesiae oeconomiam extendit, omnibus Veteris Testamenti periodis, omnibusque veris Dei cultoribus, cuiuscunque gentis & conditionis commune. Ut vna adeo eademque & immutabilis sacrorum semper olim fuerit conditio. Haec autem de rei substantia seu essentia accipienda esse, nemo non animaduertit. Quoad circumstantialia enim & accidentalia, pro varia temporum commutatione, variaque illorum conditione, non potuit non cultus diuinus variam induere faciem, & eundo splendidiorem magis magisque sumere habitum. Sed *essentiale* loco alicui sacro esse arbitror, ut sit locus singulari Numinis praesentia, externis signis indicata, diuino cultui consecratus.

S. V. Huc quidem & verae religionis intimior consideratio, tum disertum Dei mandatum, & perpetua tandem harum rerum, quotquot prostant, monumenta, vocant. Quae omnia in hoc conspirant amicissime, ut omnem cultum diuinum ad singularem Dei praesentiam, externo modo demonstratam, sistant: ex qua stata ac determinata diuinitus sacrorum loca non possunt non necessario oriri. Eodem igitur ordine, quem ipsa natura suppeditat, nobis incedendum erit, ut praelibatis genuinis cultus

A 2

diui-

לשם ככל מקום שירצו על מנחת שיהא כמה שיכנו אותה.

h. e. licet autem gentilibus etiam nunc quouis in loco, ubique modo libuerit, Deo holocausta offerre, dummodo altare edificent. Et R. OBAD. DE BARTENORA

ad loc. cit. ודוקא לישראל נאסרו הבמות אבל עכו"ם מותרים.

לחקרוב שלמים בכל מקום ואפילו בוסן הורא h. e. Sed Israelitis tantum prohibita sunt excelsa, gentilibus autem ubique licet offerre, etiam hoc tempore. Et in eundem sensum GEMARA ad th. 4. fol. 116, b. l. 7. sqq.

25.

24.

23.

22.

21.

diuini fundamentis, legem diuinam disertamque scripturæ literam, ex his enatam, expendamus, & quosuis denique veros Numinis cultores, intemerata fide ab ipsis mundi originibus per singula V. Test. interna, rigide iis inhæsisse monstremus. Quod vltimum tamen per priorem omnium periodum, quæ ab Adamo ad Mosen vsque pertinet, in præsententi tentasse sufficiat.

§. VI. Quod igitur ad primum momentum attinet cui nostra innititur sententia, vnicum omnino religiosi cultus objectum solum esse Deum, ipsa quidem ratio haudquaquam ignorat. Sed nisi Deum promisserrimi istius, in quem, proh dolor! Adami lapsu conjectum est genus humanum, & natus ratione *specialiori sui manifestatione innotescens, suaque cohabitatione gratiosa modo manifestissimo illustrissimoque ut tuum Deum se demonstrantem* colueris, solo naturæ lumine fultus, verissime cum Atheniensibus (g) veneraberis *ἀγνώσκον θεόν*, cultu vel plane nulli, vel potius irato præstito Numini. Quum enim Deo O. M., *cujus deliciae sunt cum filiis Adam (h)*, secundum beneplacitum suæ voluntatis, fuit constitutum, perpetuam, post hominum memoriam, sibi comparare ecclesiam, quæ esset *gens sancta, λαὸς εἰς περιποίησιν (i)* h. e. *populus* quem sibi vt *proprium* vindicaret & vt *peculium*, & CUIVS ipse esset DEVS (k), modo longe specialissimo præsentem se ei exhibendo, eam vt *templum* suum *inhabitando (l)*, ad *regis* instar *subditis (m)* eis præsidendo, haud secus ac *pastor gregem (n)* curando, vt *caput* reliquis corporis *membris (o)* vitam suppeditando, ipsamque denique longe intimiori vinculo sibi jungendo, quam non cohæret *vitæ* cum *palmitibus (p)*, *maritus* cum sua *con-*
juge

(g) Act. XVII. 23. (h) Prov. VIII. 31. (i) I Petr. II. 9. (k) Modo scilicet plane peculiari, quo solius est ecclesie Deus, intimam inferente hominum cum summo bono unionem, ejusque fruitionem plenariam. Hinc quorum Deus hoc modo Deus dicitur (ut eadem promissione vniuersa semper ecclesia inde a mundi exortu est gavisâ vid. Gen. IX. 26. quæ postmodum collata Abrahæ deprehenditur Gen. XVII. 7. & repetita Isaaco Gen. XXVI. 24. Iacobo Gen. XXVIII. 13. omnibusque Israelitis Exod. XX. 3. quin toti tandem ecclesie Noui Testamenti e gentibus collectæ Of. II. 25. coll. Rom. IX. 25. & I Petr. II. 10.) illi & eius vicissim sunt *populus*. Ceu necessaria ista relatio liquet ex Exod. VI. 7. Lev. XXVI. 12. Jer. VII. 23. c. XI. 4. c. XXIV. 7. c. XXXII. 38. c. XXX. 22. c. XXXI. 1. 33. Ez. XI. 20. c. XIV. 11. c. XXXIV. 30. XXXVI. 28. c. XXXVII. 23. Zach. VIII. 8. &c. (l) Vid. Exod. XXIX. 45. Lev. XXVI. 11. 12. Exod. XXV. 8. c. XXXVII. 26, 27, 28. Zach. VI. 12. 13. coll. Joh. XIV. 23. I Cor. III. 16. c. VI. 19. II Cor. VI. 16. Eph. II. 21. 22. Ebr. III. 6. I Petr. II. 5. Apoc. III. 20. c. XXI. 3. &c. (m) Deut. XXXIII. 5. coll. Exod. XIX. 6. Ez. XXXVII. 24. 25. Hof. III. 5. Zach. IX. 9. Ps. II. 6. (n) Jef. XL. 11. Ez. XXXIV. 8. 10. 19. 24. 31. XXXVII. 24. Ps. LXXX. 2. Joh. X. 12. (o) Eph. I. 22. 23. c. IV. 12. 15. c. V. 23. 30. Col. I. 18. (p) Joh. XV. 1. 2. 5.

juge (q), parens cum liberis (r); quemadmodum horum aliorumque sub imaginibus arctissimum commercium & specialissima presentia, qua sanctis suis Numen ad est, in scripturis exprimitur: summæ quoque ipsius sapientiæ, summæque benignitatis legibus conveniebat, ut hujus gloriose majestatis suæ presentia, ac cohabitationis gratiosæ, perspicua omnique dubitatione majora ederet documenta, & ingenio humano temporumque conditioni benevole se attemperans, a lapsu inde deplorando vsque ad tempus quo *Φανερωθεὶς ἐν σαρκί (s) ἐσηνώσεν ἐν ἡμῖν, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας (t)*, eam sub manifestis indiciis, symbolisque externis, non solum *πολυμερῶς*, sed & *πολυτρόπως (u)* suis demonstraret.

S. VII. Erant quippe hæc, sub quibus adeo propinquum hominibus olim se sistebat Deus, signa multifaria diuersique generis. Dum alia visum, auditum alia, aut etiam tactum adiciebant, prætereaque externis modo, modo autem internis objiciebantur sensibus, eaque nunc solitaria, nunc inuicem juncta. At ordinarium tamen, illudque augustissimum symbolum, sub quo *videri, reuelari, aut manifestari* dicitur יהוה אלהים aut כבוד יהוה & פני יהוה (x) lux erat fulgidissima, aut ignea flamma

A 3

(q) Jer. II. 2. Hof. II. 18. 21. Joh. III. 29. Matth. IX. 15. c. XXV. 5. 6. 10. Eph. V. 25. 199. II Cor. XI. 2. Ap. XIX. 7. c. XXI. 2. 9. (r) Deut. XXXII. 6. Jes. LXIII. 16. Jer. III. 4. c. XXXI. 9. Hof. II. 1. Matth. V. 45. I Cor. VI. 18. Eph. III. 15. (s) I Tim. III. 16. (t) Joh. I. 14. (u) Ebr. I. 1. (x) Hæc denominationes כבוד יהוה & פני יהוה accuratius consideratæ aliquantum quidem a se inuicem discrepant. Nam פני יהוה generatim *singularem quandam numinis presentiam, manifestissimam, & effectu demonstratam* notat. Ut Pf. XXXIV. 17. Pf. CXXXIX. 7. coll. 8. 9. 10. & passim alibi, eodem sensu quo עני יהוה sumitur, qua cum etiam sæpe permutatur ut Pf. XXXIV. 16. & 17. Gen. IV. 14. coll. Jon. II. 9. adeoque multo latius patet quam כבוד יהוה. utpote quæ determinate *presentiam gloriose Dei majestatis specialissimam & gratiosam, externa ignis specie conspicuam*, exprimit. unde hæc quandoque simpliciter אור dicitur, ut Jes. LX. 1. aut explicatius פני יהוה אור. ut Pf. IV. 7. Pf. XLIV. 4. conf. etiam Num. VI. 25. Pf. LXVII. 2. Pf. LXXX. 4, 8, 20. Dan. IX. 17. Jes. LX. 1. Ez. XLIII. 2. &c. &c. quandoquidem כבוד יהוה semper includit פני יהוה. Quod Græcorum δόξα in N. T. imitatur. Ut Joh. I. 14. coll. 2 Pet. I. 16, 17, 18. cum Matth. XVII. 2. ubi diuinitas in carne Christi habitans, eodem hocce illustrissimæ lucis symbolo se ostentabat gloriosissime. it. Apoc. XXI. 2. 9. 23. Synonymice tamen haud raro adhibentur. vid. præcipue Exod. XXXIII. 18. coll. 21. 22. 23. ubi MBNAHEM annotat. in *biur al hattorab* ראתה היתה ראת למרנו כי השאלה היתה ראת פנים הנקראים כבוד h. e. *hinc discernimus quod petierit visionem VULTVS qui vocatur GLORIA.* Vnde a Targumistis quoque promiscue per שכנתיהוה רוי וקר שכנתיהוה רוי & וקרא רוי seu שכנת יקריהוה רוי redduntur. Abstractiva itaque significatio his vocibus quidem propria est, sed concrete sunt intelligenda de illo angelo qui est ἀγγέλου ἡς δόξης καὶ χαρῆς ἡς ὑπεράρας ἡς θεῷ

25

24

23.

22.

21.

ma (y), quæ fumo ac nube (z) frequentissime conspiciebatur inuoluta, quamque ipsa haud raro comitabatur persona humana (a). Symbolum sane, si quod aliud, majestati diuinæ accommodatissimum, & ad ejus præsentiam, non sine mysteriis simul, quæ fouebat, clarissime demonstrandam, animosque diuinitatis sensu percellendos viuidius, aptissime comparatum.

§. VIII. Hanc autem diuinæ majestatis præsentiam, externis indiciiis expressam, ipsosque adeo externos sensus tangentem, non profundam modo animis venerationem, summamque religionem (b) oportuit injecisse: sed pauidis quoque mortalium pectoribus summae Dei erga ipsos fauoris ac gratiæ, federi gratioso, post ipsum statim tristissimum lapsum cum genere humano inito, promissionibusque venturæ salutis innixæ, pignus luculentissimum non potuit non exhibere, persuasionemque firmissimam, & falli prorsus nesciam ipsis induere, hunc placatum hominibus propitiumque Deum (c), ipsorum quoque speciatim esse Deum, ut

pote

Ebr. l. 1. & *שמך רב עשׂוּת רב* *deq̄rtu* Col. l. 15. coll. Deur. IV. 37. cum Ex. XIV. 19. & Exod. XXXIII. 14. cum e. XXIII. 20. quem Jesaias c. LXIII. 9. מלאך פניו vocat. h. e. juxta BECHAI in *biur al hattorah* fol. 98. c. 2. l. 24. מלאך שהוּת פניו angelus qui est facies vel imago ipsius. per appositionem. vid. etiam fol. 88. c. 3. fin. & fol. 194. c. 2. l. 11. seu juxta MEBNAHEM מלאך הנקרא פניו angelus ille qui vocatur facies ipsius. quia, juxta BECHAI fol. 93. c. 2. l. 21. & f. 113. col. 3. l. 26. הוּת השליח מטטרון שבו אני נודע בעולם על המעשים הנוראים והנפלאות הגדולות באותור ומפתים שיעשו על ידי שמתוכם והנפלאות הגדולות באותור ומפתים שיעשו על ידי שמתוכם ויראוני ויראוני hic est Legatus ille, METATRON, per quem ego (Jehova) innotescio in hoc mundo per opera tremenda & mirabilia magna, per signa & prodigia quæ per eum fiunt, & quibus cognoscat me creatura, meque reuerentur. coll. Joh. I. 13. Joh. XIV. 9. & c. V. 23. Et juxta eundem l. c. l. 31. וְהוּת הַשְּׁלִיחַ הַזֶּה הוּא הַמְּכֹרֵת הַנִּקְרָא שְׁכִינָה qua vocatur (nempe בלשון חכמים *style sapientum* f. 100. c. l. 128.) SCHEGHINA. (y) vt Exod. III. 2. c. XIII. 21. Lev. IX. 23, 24. (z) Gen. XV. 17. Exod. XIX. 9. 18. c. XXIV. 15, 16. Exod. XIII. 21. c. XVI. 10. Exod. XL. 34. sqq. c. XXXIII. 9. 11. Num. XIV. 14. c. XII. 5. (a) Ex. XXIV. 10. Jes. VI. 1. 4. Ez. I. 26, 27, 28. c. XXXIV. 2, 3, 6, 7. & c. Dan. VII. 9. conf. Apoc. I. 13, 14, 15, 16. & Act. VII. 55. c. IX. 3. & 4. coll. Act. XXVI. 13. præcip. 16. sqq. & 1 Cor. XV. 8. sqq. (b) conf. Lev. X. 3. quod perpetua quoque exempla in sacris ostendunt, ubi conspecta Dei præsentia venerabundos in terram egit Numinis religio. (c) Nam hæc FACIES DEI quæ præsens hominibus exhibebatur erat פני האמת והרחמי facies veritatis & miserationum, vt loquitur *Kekanatenensis* ad Exod. XXXIII. 15. conf. Ex. XXXIV. 6. & BECHAI de hoc angelo faciei, quem *Micbaelem* esse perhibet, dicit ממונה הוּת

pote quos inter medius habiter, ipsosque illius vicissim populum, proprium, & peculium (d), omniumque proinde diuinorum bonorum ex asse heredem (e). Hinc nihil augustius potuit suis indulgere Numen hanc sua cohabitatione externa, nec quicquam fidelibus potuit esse desideratius, quam Deum suum videre presentem, nihil exoptatius quam externo hocce vinculo, interni indice tutissimo, suo sociari Deo (f), ad hunc felicitatis omnis omnigenaeque salutis unicum fontem (g) omnibus ferebantur votis (h), huc merito oculos usque animosque habebant intentos, hinc omne auxilium, omnem benedictionem, tutelam, & quoduis bonorum genus & expectabant, & consequebantur certissime (i).

§. IX. Vt igitur ex dictis liquide patet, summæ erga Deum reuerentiæ pariter atque amoris & fiducia, & hinc omnis genuini cultus interni principium solam hujusmodi presentiam Numinis demonstratam existere, unicumque vicissim veræ religionis interna obiectum Deum hoc modo se manifestantem, nullus plane supererit ambigendi locus, quin omnis etiam cultus externus, interni nil nisi effectus, huc vnice quoque fuerit conuersus (k). Et preces quidem ac supplicationes ad solam Dei faciem erant

על הסליחה כי הוא שר החסד eum condonationi præesse, quoniam sic princeps gratiæ. fol. 981. col. 1. l. 7. & 22. (d) conf. Exod. XIX. 5. 6. Deut. IV. 20. c. VII. 6. Deut. XXVI. 18. 19. (e) Rom. VIII. 17. (f) conf. Zach. II. 14. Deut. IV. 7. Exod. XXXIII. 14. 15. 16. c. XXXIV. 9. coll. Pf. LXVIII. 18. Pf. XLVI. totus. Ezech. XXXIV. 30. Apoc. XXI. 3. & Pf. CXL. 14. summam iustorum felicitatem in compendio exhibiturus David, rectos cum facie leboæ perpetuo habitaturus, dicit. (g) Hinc Schechina illa in S. S. passim מעני ריזשוע in ישע & רישוע, posito abstracto pro concreto, audit. (h) Pf. XLII. 3. sq. (i) Hinc David protectionem diuinam & tutelam quamcunque יי סתר פניו vocat Pf. XXXI. 21. quam Pf. XXVII. 5. dixerat סתר אהלין, quia tum temporis in tabernaculo habitabat presentia Dei. & Pf. XXXVI. 9. אל כנפיו, respiciens simul, cum Jef. c. IV. 5. 6 ad nubem, presentia diuinæ symbolum, in deserto Israelitas a nimio solis æstu in loca istis siticulosis & præteruidis defendentem, ceu constat ex Num. XIV. 14. & c. X. 34. Pf. CV. 39. conf. etiam Sap. X. 17. c. XVIII. 3. Hinc quoque est quod sibi met ipsi aut aliis benedicturi, & prospera quæuis apprecaturi, vel opem diuinam imploraturi, nil fere præter faciem Dei, causam scilicet pro effectu, nominarint. Quod idem sibi volunt omnia ista loca, ubi Deus respicere preces, egenum, &c. dicitur pro iuuare. item, quod egregium quoduis, magnum, & præcellens nominaturi, id quasi לפניו in presentia Dei constitutum introducunt. E contra iram diuinam pœnasque peccatorum deprecaturi, absconsionem vultus, seu presentia externæ subtractionem, deprecabantur. utpote quæ causa malorum omnium, quæ mente possunt concipi, sit necessaria. conf. 1 Sam. IV. 18. it. 19. sqq. Quorum exempla in omnibus fere Scripturæ sacre paginis occurrunt innumera. (k) Hinc istæ locutiones, quibus cultus diuinus in Scriptura exprimitur, nil fere aliud sonant quam singularem hanc presentiam Dei. ut sunt: Ven. re coram Deo, Mich. VI. 6. Stare coram leboæ. Jer. VII. 10. quo referunt Iudæi.

25

24

23

22

21

erant dirigendæ, quum nullæ Deo possunt esse acceptæ, nec spem exau-
ditionis concipere homines, sine speciali in gratiam Numinis fiducia, quæ
hisce adparitionibus constabat vnice. Itemque celebrationes, gratiarum-
que actiones pro acceptis a Deo beneficiis, non alio, quam ad eundem
vnde illa profluxerant, omnium donorum fontem, poterant redire. Sa-
cristicia autem, insignem tum constituentem cultus externi partem, huic
soli diuinæ præsentia, ad quam necessariam & immediatam habebant re-
lationem, poterant offerri, siquidem sibi satis constare debebant. Nil
aliud enim erant, nisi perpetua federis gratia, promissionisque de me-
diatore venturo, cui hæcæ tota innitebatur cohabitatio gratiosa, si-
gnacula, ac typi, quibus mens hominum admodum obfirmabatur, vni-
uersalem hancce gratiam, specialissime ad se pertinere, quos hocce vin-
culum cum Deo committeret; sed simul admonëbantur efficacissime,
hunc hominum ad Deum accessum non sine sanguine morteque cruen-
ta istius parari, qui, e medio ipsorum veniens, *proprio suo sanguine in Dei
præsentia in cælis (l) oblato*, vere olim illam vnionem sit præstiturus;
seu, vt pressius alibi (m) Paulus loquitur, in quo κατοικεῖ τῶν ἰσθῶν τοῦ
πνεύματος τῆς Θεότητος. *σωματικῶς habitat* h. e. communi vinculo vni-
ta est, *omnis conjungendi* (partes disjunctas Deum & homines) *virtus di-
vinitatis (n)* hoc est, a natura diuina pendens, *corporaliter*, non amplius
sub vmbris figurisque. Vnde fuit liquide, quod sacrificia, quæ Christi cor-
pus, veram illam hostiam, adumbrabant, semper olim cum singularis
præsentia diuinæ demonstrationibus, quæ incarnationis τῆς λόγου & coha-
bitationis cum hominibus angusta quasi præludia erant, debuerint esse
conjuncta. Vt adeo hominibus eadem semper ad Deum fuerit ascen-
den-

Gen. XVIII. 22. & XIX. 27. & KIMCHI 1 Reg. XVII. 1. add. XVIII. 15. *ad Deum
accedere* Ez. XLIV. 15. *quare faciem Dei* Pl. XXIV. 6. XXVII. 8. Hof. V. 15. *of-
ferre ad faciem Dei*, Leu. I. 3. *orare coram Iehova*. 1 Reg. VIII. 28. *apparere coram
facie Dei & videre faciem Dei*, Exod. XXIII. 17. XXXIV. 24. Deut. XVI. 16, coll. co-
dice Chagiga fol. 1. fac. 1. vbi duplicem his in locis agnoscunt lectionem scil. פָּנֵי
וַיֵּדֶהֱוֹתֵם אֵת פְּנֵי יְהוָה h. e. juxta RASCHIVM, Schechinam. in
tribus enim festis pedestribus istis, remotis velamentis, interiora sanctissimi, in quo au-
gusta Schechinæ sedes, omnium oculis exposita fuisse perhibent in cod. Ioma fol. 54. c. 1
l. 26. & To'saphoth l. c. circa finem. & in Niphal פָּנֵי יְהוָה *appareat coram facie Ieho-
va, quia eodem modo res sese habeat cum eo qui venit ad videndum, & cum eo qui ve-
nit ad apparentum.* vide etiam Ies. I. 12. Pl. XLII. 3. Et robur canticumque totius
ecclesiæ semper fuit יְהוָה Jah, auctor omnigenæ salutis. vid. Exod. XV. 2. Ies. XII. 2.
I. CXVIII. 14. quod nomen cum Adonai, *angeli redemptoris & Sebechi-
ra &c.* ad ductum scripturæ Cabbalisticæ æquipollet. (l) Ebr. IX. 24. (m) Col. II. 9.
(n) vide Olearii diss. de adoratione Dei patris per Jesum Christum §. 3.

dendum via, qua ille ad homines descendit, ipsosque sui participes reddidit. Haud alia ratione, ac, Petro iubente (o), *spiritualia nostra sacrificia quæuis accepta Deo offerimus, PER solam IESVM CHRISTVM, in carne nunc manifestatum, assiduum videlicet laudationis sacrificium, quod Deo libamus PER CHRISTVM, hoc est fructum labiorum nomen ejus celebrantium* (p). Vtpote *PER QUEM* solum hominibus ad patrem patet accessus. (q)

S. X. Maximam quoque sanctitatem & summam reuerentiam augustam illam majestatis diuinæ manifestationem illis ipsis locis conciliare oportuit, quibus peculiari modo Deum præesse signa præsentia illustrissima, oracula frequentissima, multaque beneuolentiæ ac prouidentia singularis indicia infallibilia alia demonstrabant. Adeo ut ea loca, quæ *Domus Dei* essent, *sanctuaria Jehouæ, habitacula excelsi, loca habitationis ejus, habitationes sanctitatis ejus, augusta & veneranda Jehouæ palatia,* & quæ sunt aliæ augustæ denominationes plurimæ, quæ nil nisi peculiarem præsentiam Dei, & proprietatem singularem expriment, ab omni usu profano separata, soli dumtaxat Deo sanctissima Numinis religio consecraret (r). Et ea propter externis quibusdam venerandæ præsentia monumentis quoduis æuum ea nobilitare consuevit: & simplicius quidem cippo & statua, aut ipsa quoque ara signum erat pietatis manifestissimum, quibus ætas sequior illustriora substituit; quo omnium animis religionis sensum iniiceretur. Eandemque ob causam fieri non poterat, quin longe illa hominibus essent desideratissima, vtpote in quibus Deum suum haberent præsentissimum (s), vbi invenire eum possent certissime, ac tantum non palpare, vbi *porta velut cæli* (t) pateret hominibus, per quam omnis generis diuinorum bonorum immensæque benignitatis diuitias effunderet in suos largissime (u). Hæc proinde inuisere summo semper ardebant desiderio, eorumque perpetuam circumferebant memoriam: ab iis autem arceri & exterminari summa merito putabatur miseria. Quum itaque omne cujusuis æui pietatis momentum solæ hujusmodi manifestationes diuinæ trahebant, apparet sole meridiano clarius omnem venerationem

B

diui-

(o) I Ep. II. 5. (p) Ebr. XIII. 15. (q) Ioh. XIV. 6. (r) vid. Lev. XIX. 13. & Gen. XXVIII. 17. Exod. III. 5. Iof. V. 15. (s) I Reg. VIII. 29. sq. IX. 3. II Chron. VII. 15. (t) Gen. XXVIII. 17. (u) Ibi enim, vt loquitur R. MENAHEM in *biur al hattorab* fol. 172. c. 3. l. 27. sq. *מן המשכן העליון יתפשט שפע הברכה בתחתונים* h. e. *ab habitatione suprema extenditur: sicut us benedictionis ad hæc inferiora.* Vid. Deut. XXXIII. 16. Psalm. CXXXIII. 3. Ps. CXXXVIII. 5. Ps. CXXXIV. 3.

25
24
23.
22.
21.

diuinam necessario quodam vinculo ad ea simul restrictam fuisse loca quæ cum externis Numinis manifestationibus naturali nexu cohærebant, & hacce salutaris præsentia Dei demonstratione sensibili illustra erant: ita quidem, vt quæuis sacrificia, ad solam quippe *faciem Dei*, quod antea monstrauius, sistenda unice, in solis hisce locis rite potuerint peragi, & omnes quoque absentium preces vnice huc debuerint conuerti; quum Dei ipsis manifestati recordatio obuersari menti nequiuert, quin locus simul per idearum nexum eam subiret. Quæ porro docent liquide, diuinitus constituta sacrorum loca ipsis veri cultus diuini incunabulis fuisse cœua, nullaque prorsus ratione, nisi sublata tota ista gratiæ œconomia, ab eo diuellenda, cultumque quemuis alium alio in loco, hac *Deo Caveas* gratia destituto, peractum, non modo plane sibi non constare, sed ab ipsa idololatria haud quamquam differre.

§. XI. Hanc nostram porro sententiam clarissime demonstrat dispersa lex diuina, quæ Numinis venerationem cultumque rite ordinat, & proscriptis idolis omnibus, quæ mentis humani libido in diuinitatis symbola finxerat, ad solam *faciem Dei* immediatam, & pro statu V. T. ad ea sola loca in quibus illa se demonstrabat, religionem omnem restringit. His verbis expressa (x) *לֹא יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל פְּנֵי* h. e. *Ne sit tibi vllus deorum alienorum præter faciem meam.* Quid per *פְּנֵי ה'* intelligatur satis e superioribus liquet. Gloria nempe Jehouæ quæ ad promulgationem Decalogi in montem Sinai descenderat omnium oculis se præbens conspiciendam (y). *פָּנִים בְּפָנִים* *facie ad faciem locutus est Iehoua vobis cum* (z), per quam eduxerat Israelitas ex Ægypto (a), quamque præcessuram jugiter castra Israelitarum promissit (b). h. e. *מַלְאֲךְ פָּנָיו* (c) *angelus ille qui est facies ejus*, in quo ad lætitiã & salutem hominibus se præbuit conspiciendum, & per quem solum Deus innotescit. Hunc iubet Numen habere (d) qui est *מַלְאֲךְ הָאֱלֹהִים* h. e. *angelus qui est Deus ille venerandus* (e) seu potius *Dii* in plura-

(x) Exod. XX. 3. (y) c. XVIII. 18. coll. c. XXIV. 16. (z) Deut. V. 4. (a) Deut. IV. 37. (b) Exod. XXXIII. 14. (c) Es. LXIII. 9. coll. Ex. XXIII. 20. (d) Quod optime exprimit Rabbenu BECHAI ad h. l. fol. 88. col. 3. fin. verbis: *נֹאמַר הַשֵּׁם רַחֲמֵינוּ כִּי לֹא יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל פְּנֵי אֲחֵרִים כִּי פָנֵי אֱלֹהֵינוּ הֵם וְהוּא כְמוֹ אִם רָצִיתָ נִשְׂאֵם עַל כְּנוֹתֵי אֲחֵרֵינוּ שֶׁלֵּי יִרְאוּ נֶשֶׁךְ* h. e. *Dixit Deus essentialis per lab, ne sit tibi Deus alienus præter faciem meam, sed facies mea e Deus ius. Quod eodem modo ac ille locus Gen. XXXI. 50. intelligendum est, si assumeris uxores præter filias meas, sed filia mea sint uxores tue.* (e) Gen. XXXI. 11. Exod. XIV. 19. Quæ per appositionem explicanda contendit BECHAI

plurali i. e. in quo tota SS. Trinitas colitur & adoratur. Et cum quidem solum: quum ipse sit Deus solus (f), & per eum solum נגלו האלהים uelentur (omnes diuinitatis persona (g) adeoque verus est Deus Israelis (h). Ita quidem ut omnis religio ac veneratio diuina ad eum solum dirigatur immediate, minime vero mediante vlla quadam creatura alia, aut rerum creaturarum simulacris quae פני ה' vel פני ה' i. e. prater vel una cum facie Iehoua sibi constituebant gentiles, eorumque moribus imbuti Israelitæ. Et mutantés adeo כבודם (i) seu ἡν δόξαν τῆ ἀφθέρτου θεῶ (k) GLORIAM in corruptibilis DEI in id quod nihil prodest, eorum interuentu כאלו היו אמצעים (l) tanquam mediatorum Iehouam inter & ipsos, verum Deum colere conabantur. Et isti sunt אלהים אחרים de quibus hoc loco, ceu & proxime subjunctis v. 4. cum Mosi facta repetitione v. 23. collatis clarissimum est. Et hoc quidem præceptum cum juris sit vniuersalis, omnes omnino homines vtriusque oeconomiae obligans, terminis quoque generalibus ut conciperetur necessum fuit. Cujus ad statum Ecclesiae veteris applicationem pleniorē, vbi cultus diuinus maximam partem constabat sacrificiis, Mosi suppeditat postea Deus, ad populum perferendam, vnice ea in locis offerri iubens, sua repletis gloria, verbis (m): aram ex terra, aut etiam e viuo lapide, construes לי coram me, ut Chaldaeus optime, & sacrificabis super ipsam holocausta tua &c. בכל המקום אשר אזכיר את שמי אבוא אליך וברכתוך h. e. non in loco quem videris (n), sed in quouis illo loco ubi recordari fecero NOMEN MEVM i. e. ut verbis ABEN ESRAE vtat, אשר אשים זכר לשמי, quod שם שוכן שם vbi posuero memoriale NOMINIS MEI, quod GLORIAE MEA ibidem habitet, שם vbi veniens ad te benedixero tibi, quo effectus gratiosæ præsentiae seu SCHECHINAE significatur. Quum itaque hocce mandatum ex vniuersali omnis cultus principio immediate fluat,

B 2

col. 28. col. 4. l. 7. & fol. 65. c. 1. l. 25. & REKANATENSIS in biur al hattorah f. 99. c. 4. lin. antep. maiorum suorum auctoritati innitens, & fol. 88. c. 4. l. 24. 25. notat, אבל יראה הכבוד הנקרא אלהים Deus essentialis videri non potest sed videtur GLORIA illa, que vocatur NYMEN. Quam GLORIAM cum FACIE DEI eandem esse fol. 121. col. 3. l. 14. obseruat. (f) Pf. LXXXVI. 10. Ies. XLIV. 6. (g) Gen. XXXV. 7. coll. c. XXVIII. 13. cum c. XXXI. 11. 13. (h) Exod. XXIV. 10. (i) Ier. II. 11. (k) Rom. I. 23. (l) conf. ABEN ESRAE ad Exod. XX. 22. & ABRABANELEM, fol. 143. c. 1. l. 24. sqq. & ad Iud. VIII. 33. & vide exempla manifestissima Israelitarum Ex. XXVII. 1. 5. Mich. Iud. XVII. 3. coll. 13. Iero boami i Reg. XII. 28. & conf. Hof. II. 18. 19. quæ omnia diserte loquuntur Israelitas exemplo gentilium per idola verum Deum venerari tentasse. (m) Ex. XX. 24. (n) Vti hæc oppositio distincte habetur Deut. XII. 13. vbi speciatim de templo Ierusalem.

24

23.

22.

21.

fluat, & cum eo necessario cohæreat vinculo, atque ipsum quoque terminis generalissimis expressum sit, manifestissimum est, ad quæuis non modo sacrificia, quæ vnquam ab hinc oblata sunt ejus vim extendi (o), sed ad præcedentia quoque tempora, quæ inde a condito orbe effluerant, pertinere. Id quod eo clarius, quod ad idem omnino fedus quod cum patribus dudum percusserat Deus, iisdem federis conditionibus Israelitæ jam initiabantur (*), priscaque ætatis simplicitas hic plane supponatur. Ut adeo totius Veteris Oeconomix, in quantum illa Nouæ potest opponi externi cultus hic exhibeatur norma, ad certa quædam loca totum restringens majestatem Dei repleta, qui sub Nouo federe in *QVOVIS LOCO* totius orbis rite præstatur (p), postquam ab *ortu solis ad ejus usque occasum magnum est NOMEN Iebouæ inter quascunque gentes, & tota terra REPLETA fuit GLORIA Dei* (q).

§. XII. Sed ipsa præcipue ecclesiæ veteris praxis nobis est inspicienda, ut quidnam hac de re sit statuendum inde edoceamur plenissime. Et eundo quidem per singulas periodos, quibus ipsa sacri cultus varia conditio omne æuum Oeconomix veteris distinguit, e perpetuis harum rerum monumentis haud difficulter ostenderem, quosuis veros Dei cultores ad eius externam manifestationem totos semper fuisse conuersos, neminemque eorum vnquam fuisse operatū, nisi in tali loco, in quo gratiosa sua cohabitatione, externis indiciis declarata, se Deum ipsorum demonstrauerit sanctissimum Numen, veneranda hac diuinitatis præsentia consecrato: adeo ut fidissimos hosce interpretes, sepositis opinionibus præjudicatis omnibus, sincere secutus, illimitatam vagamque licentiam, vbiuis & vbi libuerit sacra faciendi, semper olim a vera religione prorsus exulasse, firmissime inde colligere possit: attamen quum in præsentipersequi omnia non liceat, antiquissimæ modo maximeque omnium dubiæ ætatis faciem, ut supra monuimus, nunc inspiciendam nobis sumemus, & perlustratis omnibus sacri cultus monumentis, quotquot a primis inde auspiciis intemerata seris vetustam hanc memoriam seruant, ab ipso diuini cultus exortu ad erectum vsque tabernaculum loca sacris determinata diuinitus semper extitisse probatum dabimus.

§. XIII. Ut igitur ab ouo rem repetamus, in ipsis sacrorum natalibus, hoc, quod contendimus, clarissime statim conspicitur. Ut enim res ipsa

(o) Quo minus enim ad ea sola loca in quibus tabernaculum in terra Canaan constituebatur hoc præceptum cum ABARBANELE ad h. l. col. 143. col. 1. lin. 49. restringas, obstat altare terreum de quo h. l. cuiusmodi in tabernaculum non quadrat.
(p) Mal. I. 11. (q) Ex. VI. 3. (*) coll. cum Ex. XX, 2. 3. Gen. XVII, 1.

ipsa monet, immediatam sacrificiorum originem ipsi Deo esse tribuendam (r), qui non sine sanguine (s) gratiosum fedus, externa modo voce promulgatum, ad erigendos in spem futurae redemptionis contritos peccatorum summæque miseriæ agnitione lapsorum animos, dedicauerit; & modum amplius offerendi, veramque eorum significationem ipse eos edocuerit; pellibusque denique victimis hisce detractis, quarum meminit Moses in disertum æternumque diuinæ institutionis vestigium (t), turpem miserorum nuditatem texerit: quisque vel etiam inuitus ut fateatur pertrahitur, primum hocce sacrificium, reliquorum omnium a quo pendent exemplum, inspicienti cunctaque moderanti Numini benignissimo ab Adamo esse oblatum, primamque, quæ unquam orbi fuit imposta, aram, in loco, ob visibilem Dei præsentiam sacro, constructam.

§. XIV. Hanc ipsam quoque aram, quæ Numinis jussu primum est constructa, perpetuis deinceps litationibus Adami ejusque familiæ inferuissse est longe probabilissimum (u): certe extra dubitationem omnem est positum, semper ipsis postmodum quoque certum locum fuisse, quem communi publicæque pietati primæque familiæ determinauerit *vultus Dei conspicuus*, seu gratiosa diuinitatis præsentia, symbolis externis, oraculis,

B 3

hac

(r) Quod præter alios aduersus dissentientes abunde euincunt LVDOVICVS CAPELLVS in Comment. in V. T. ad Gen. IV. p. 330. a. HERM. VVITSIVS Miscellan. sacr. Tom. I. L. II. dissert. II. & summe venerandus BVDDEVS noster in H. E. V. T. Tom. I. p. 143. sqq. (s) Conf. ad Ebr. IX. 18. & 22. & ad h. l. VVITSIVS Oecon. L. III. c. 3. §. 24. (t) vid. idem, in Miscell. l. c. §. 12. & 13. & Oecon. L. III. c. 3. §. 4. (u) Quo communis etiam apud Iudæos traditio tendit MAIMONIDI in *Hilk. berib habbech*. c. 2. th. 2. e capitulis R. ELIENSARIS c. 23. circa fin. it. c. 31. med. & *Medraschoth* laudata. מסורת ביד הכל שהמקום שבנה בו דוד

ושרמה והמזבח כגורן ארונה הוא המקום שבנה בו אברהם והמזבח ועקר עליו יצחק. והוא המקום שבנה בו נח כשיצא מן התברכה. והוא המזבח שהקריב עריו. קין והבל. ובו הקריב נדם הרגישון קרבן כשנכרת ומשם נכרת. אמרו חכמים נדם ממקום כפרתו נכרת. h. e. Est vniuersalis traditio, quod locus ille,

ubi David itemque Salomo extruxere aram in area Arauna idem ille sit, ubi Abrahamus altare extruxit, super quod ligabat Isaacum. Hunc autem illum esse, in quo Noachus, cum prodiret ex arca, tale struebat. Hoc idem fuisse altare in quo obtulerunt Cain & Habel, & in eo obtulisse hominem illum primum postquam creatus esset, eumque inde creatum esse. Dicunt sapientes, Adam de loco expiationis sue conditus est. vid. TALMVD IERVSCHALMI fol. 56. c. 2. l. 50. sqq. & BRESCHITH RABBA fol. 14. c. 1. l. 2. sqq. Cui & ABARBANEL ad stipulatur in commentario ad h. l. fol. 30. col. 4. edit. Hanov.

25

24

23

22

21

hac prima præsertim mundi ætate, frequentissimis, aliisque fauoris & beneuolentiæ signis, primis hominibus indicata. Hanc enim ultimæ hujus vetustatis faciem Moses non potuit non viuidissime simul delineare, causam Caini in fratrem concepti odii, subsecutique parricidii, & pœnas denique facinoris, quas dedit meritas, expositurus. Primo quidem cuncta breuissimis innuit, & certum scilicet definitumque sacris locum (x), & singularem in eo Numinis præsentiam, quæ utriusque disparia dona, disparibus animis oblata, sibi stiterit, adeoque par fratrum, cæteroqui in omnibus dispar, in unum coegerit, quando quemque fratrum perhibet suum aliquando sacrificium ליהוה הכיב adduxisse coram Iehoua (y). Hoc autem, quod phræseos, in hoc negotio vsitatissimæ, vis exigit, ulterius rem persecutus ipse plenius declarat. Peculiaris enim hujus præsentia Dei clarissima adfert documenta, dum ad Abelem & ad munus ejus לערָ respexisse Iehouam, ad Cainum vero & ad oblationem ejus, לא לערָ non respexisse, docet. לערָ Paulo (z) est μαερωεειν perhibere testimonium, unde utrique constare potuerit euidentissime, dona Abelis potiora esse illis Caini. Scilicet vocem hanc præter nudum ac simplicem respiciendi actum, ut cætera, quæ ipsi respondent, videndi verba, qualitate frequenter ac adjunctum aliquod, cujus effectus & indicium ad spectus est, simul inuoluere notissimum est. Adeoque hoc loco, de Deo usurpatam, manifestationem fauoris (a) & beneplaciti præsentis Numinis, signo quodam euidentissimo factam, notare, longe est certissimum. Isto nempe dubio procul, quod docet liquidissime על שכנת השם ומלאכיו de gloriosa maiestatis diuina, sanctorumque, quibus stipata est, angelorum præsentia, summoque itaque jure est ערָ הרצון האלהי, signum illud essentiæ docens de diuino beneplacito, ut loquitur

ABAR-

(x) Quod ex hac phrasi quoque ABEN ESRA ad h. l. colligit, verbis: הכיב adduxit munus hoc ad locum supplicationibus definitum, nec placet, pergit, illa, qua fert opinio, eum attulisse munus istud ad patrem suum. (y) לערָ enim וערָ, ex quo detruncatum est, generaliter nexum aliquem propinquitatem ac viciniam infert, vnde omnes, quæ huic particulae tribuuntur, significationes dependent. Et ea propter, vt alias frequenter, quotiescunque ad Deum refertur vt Datio Latinoꝝ exprimi possit, idem potius est לערָ coram, in conspectu seu præsentia diuina, vnde ordinarie hoc casu a Targumistis vertitur per קורם haud secus ac לערָ. Quemadmodum ipsa quoque SS. hoc sæpius in istius locum reponit. v. g. Deut. XXVII. 6, 7. II Sam. XXI. 6. coll. v. 9. Ion. III. 3. coll. Gen. X. 9. vid. etiam Gen. XIII. 13. coll. cap. XIX. 13. & c. VI. II. Ps. LI. 6. ita Ios. X. 12. לערָ in Mechéla substituitur לערָ Sect. Beschallach fol. 26. col. 2. (z) ad Ebr. IX. 4. (a) Vt alias ira diuinæ declarationem, v. g. Exod. XIV. 24. a Deo dicitur respicere v. g. eganum, afflictionem, preces &c. quando actu iuuat.

ABARBANEL (b), ac ea propter quavis olim ætate (c) a Deo, in solemnioribus præcipue sacris, qualia & hæc fuisse haud temere conjeceris, ad suam complacentiam irrefragabili testimonio comprobendam, adhibebatur. Ighe (d) videlicet, ex eunte מלפני יהוה, & sacrificium oblatum confumente. Alterum ejus indicium, hoc nihilo obscurius, increpatio diuina, externo ad Cainum alloquio facta, præbet. Res autem magis adhuc elucescit, quando sacro huic loco agrum, ejusdem cum isto regionis, diserte opponit, vbi minime ejusmodi signis externis conspicua deitatis præsentia percellerat animum. Vt adeo, quæ facere istius loci religio, præsentisque Numinis timor, antea prohibuerat, nunc diuino conspectui se subductum secure posse perpetrare, stolide putaret Cainus. Vt ex ipsis parricidæ verbis, quibus, Deo de fratre percunctante postmodum, cum proxima ab hinc vice, pro more, diuinis se sifteret oculis, perpetratum facinus tegere conabatur, satis est intelligere. Toti autem regioni, quæ hunc continebat locum, plane singulari præsentia Numinis vnice tum illustrem, & ea propter diuino cultui rite peragendo vnice aptum, quamuis tandem aliam totius orbis terrarum ipse parricida opponit, dum misere conqueritur, quod *ex hac ipsa regione extrusus, quocunque demum diuagari detur, נסתר מפני יהוה subductus conspectui diuino sit futurus.* Hæc querelarum materia! non quidem, quod hac ratione vera Numinis gratia, cujus præcipui indices externa præsentia signa erant, priuaretur, sed quod a visibili ejus commercio sejunctus, omni quoque specialiori cura (e), ac benedictione in temporalibus, in posterum sit cariturus, ipsiusque adeo vitæ discrimen certissimum subiturus. Haud parum quoque lucis huic loco exemplum Jonæ, paulo attentius collatum, affundet. Qui, vt *faciei Jehouæ*, in templo Jerusolymitano tum conspicuæ, se subtraheret, e patria profugus, Tarsum contendebat (f), ad quam regionem, ceu exteram (g), Schechinam non pertinere

(b) In comment. ad Leuit. IX. 24. fol. 194. a. col. 1. lin. vlt. & fol. 30. a. col. 2. lin. 37. (c) Vt in oblatione Noachi Gen. VIII. 21. & in solemnii initiatione tabernaculi Lev. IX. 24. templique Salomonei 2 Par. VII. 1. 2. 3. quæ citat ABARBANEL ad h. l. fol. 30. a. col. 2. lin. 36. sqq. quibus adde sacrificium a Dauide ad pestem emolendam oblatum I Chron. XXI. 26. & illud Eliæ ad verum Dei cultum aduersus Baalî cultores asserendum I Reg. XVIII. 38. item Abrahamæ solemnii ritu sedus cum Deo inuentis Gen. XV. 18. ac Gideonis Iud. VI. 21. cum Manoa. Iud. XIII. 26. conf. etiam Pl. XX. 4. (d) Cujus sententiæ vetustissimus auctor est THEODOTION, vocem שעה per *ἐπιπόρευσις* vertens. Cui ex Iudæis quoque subscribit RASCHIVS & ABEN ESRA ad h. l. itemque ABARBANEL l. c. lin. 35. quos & alii sequuntur, & Christianorum veteres pariter ac recentiores ad vnum fere omnes. (e) conf. *Abarb.* l. c. b. col. 2. lin. 27. sqq. (f) juxta c. I. v. 3. (g) Hispanicam nempe, juxta BOCHARTVM

25.

24.

23.

22.

21.

nere (b) adeoq; nec specialem Dei curam, ad solum templum restrictam (i), credebant extendi. vide præcipue c. II. 5. ego vero cogitabam נגרשתי מנגר עיניך in perpetuum extrusus manebo a conspectu oculorum tuorum s. vicinitate providæ & salutaris præsentia tuæ in templo exhibitæ; quam immediate subjecta aperte monstrant. Itemque Iudæorum huic nostro plane simillimum omnino conferri meretur. Quos projicere Deus minabatur מעל פניו a connexione præsentia sua in templo Jerusolymitano demonstratæ Jerem. VII. 15. remouendos scilicet ab hoc loco in quem temere tutissimum felicitatis præsidium ponebant pessimi I. c. v. 4. coll. Mich. III. II. & in exilium ablegandos, haud secus ac fratres, qui jam tum dura seruitute omnibusque miseris pressi impietatis dabant poenas.

§. XV. Et sane summa Cainitarum impietas hanc nostram sententiam, quæ ad præsentiam Numinis externam omnem cultum diuinum sistit, ipsa quoque confirmat. Statim enim vt infelix horum parens מלפניו secessisset (k), cum hoc exilio ipso Numinis cultu externo, cui totus antea inhaererat hypocrita, se cerneret prohibitum, munus tamen speciali cura diuina, quam unice efflagitabat, præsentiaque externæ tribuerat vnice, omnem penitus religionem Deique curam animo excussit, & ad ipsam impietatem transit. Cujus vestigia presse deinceps infausta progenies secuta, nullo retenta Numinis sensu (l), in omne nefas se dedit præcipitem, vt adeo ad summum subito fastigium malitia facile potuerit excrescere. Cum vera contra religio ad Dei faciem constanter viguit in cœtu fidelium, & insignia subinde sumsit incrementa, nascente præcipue Enofo, quo tempore דורו לקרא בשם יהוה coeptum esse prædicari de nomine Iehouæ Moses recenset (m) h. e. solemniori ritu ut antea publice veri Dei notitiam, ejusque legitimum cultum profiteri (n), quod omnino ad aucta sanctorum familia, in officio retinenda, & ingrauescens reliquorum impietas exigebat, cui omni vi se opposuisse patres non est quod dubitemus, præcipue cum id diserte de Noacho scriptura affirmet Gen. VI. 3. coll. 1 Petr. III. 19. 20. qui 2 Petr. II.

5. dicitur

in Phaleg. L. III. c. VII. col. 166. sqq. & OLDERMANNVM in dissert. de Ophir & Tharhis. Quem sequitur etiam IAC. HASÆVS in Biblioth. Bremens. historico-philolog. theol. Class. II. fascicul. III. obseru. IV. §. 2. (b) conf. summe venerandi D. DANZII programma pentecost. de anno 1720. p. 5. vbi ad lit. (x) loca ex Iudæorum scriptis huc facientia, adducta. (i) Quod KIMCHIO ad c. II. 5. dicitur מקום השגחת ה' locus diuinae providentia proprius. (k) Gen. IV. 16. (l) Vnde Petro merito audiunt 2 Ep. II. §. 2. cor. h. e. Numinis plane expertes, athei. (m) Gen. IV. 26. (n) vid. Exod. XXXIII. 19. XXXIV. 5. Ies. XL. 3. 6. conf. etiam Gen. XII. 8. c. XIII. 4. XXL. 3. coll. cum Ies. XLI. 2.

5. *divinosus ἀνεξ* vocatur i. e. קרא בצדק Jcf. LIX. 4. A qua diuinitatis praesentia, quæ visibili modo jugiter suis praerant (o), indefessa pietate culta, quod phrasi התהלך את האלהים (p), quod idem est ac לפני האלהים (q), scriptura exprimit, nomen illis hæsit בני האלהים (r), h. e. modo loquendi vtrique federi trito, *religiosorum* s. cultui praesentis Numinis venerandi prorsus mancipatorum.

§. XVI. Eandem porro sacrorum rationem, per continuam temporum seriem ad Noachum deductam, ad Nouum quoque Mundum penetrasse prima illa ara testatur, quam restituto orbi imponebat communis omnium quos iste vnquam tulit parens. In tali enim loco constructam videmus, in quo non modo vis Numinis major, omnemque naturæ modum excedens, epraesentissimo exitio ereptos terræ reddiderat incolas, sed qui diuina maiestate, augustissimis iudiciis conspicua, erat venerabilis. Hanc autem externum alloquium, quo, quos in arcam ipsum Numen introduxerat, nunc prodire rursus iubebat, aperte nobis ostendit. Idem praeter ea docent praecleara beneuolentiæ signa, quibus Deum hanc aram, ipsius auspiciis להווייה h. e. קדם יי coram Jehoua erectam, inaugurasse, istaque solemnia sacra, quae ante diluuium jam erant destinata (s) in certissimum instantis liberationis signum (t), illustrasse, vocibus את ריח הניחח *odoratus est Deus odorem tranquillationis*, Moses subindicat. Quæ vti de beneuola susceptione proprie loquuntur, vt bene Chaldaeus ברעוא ית קרבנייה; externam tamen istius demonstrationem, quibus innotuerit hominibus, eandemque, si ABARBANELI (u) credas, ἐμπροσθεν, praesentia diuinæ beneuolæ indice ordinario, factam, simul comprehendant (x) necesse est. Sed quid multis? vniuersale Dei fedus cum toto orbe percussum, de terra non amplius aquarum deluuiio perdenda, sanctissimo juramento Es. LIV. 9. signoque federis iride addito, firmatum; solemnissimum promissio de perpetuo naturæ ordine conseruando; repetita benedictio; dominiumque in creaturas denuo concessum; & promulgata tandem leges, quæ viua omnia voce peragebantur, de singulari ac gratiosa Numinis praesentia, sub symbolis externis illustrissime ad hanc ipsam aram qui tunc viuebant omnibus (y) exhibita, neminem ambigere sinunt.

C

§. XVII.

(o) Cujus memoria & inter ipsosmet gentiles seruata, qui sub aurea ætate primos homines cum Numinibus vulgo versatos narrabant, ceu CLERICVS ad h. l. obferuat. (p) Gen. V. 22. & 24. VI. 9. (q) conf. Gen. XVII. 1. (r) cap. VI. 2. & 4. (s) vid. Gen. VII. 2. coll. cum c. VI. 17. (t) vt Ex III. 12. (u) loco supra ad §. 14. cit. ad lit. (k) (x) vt יזכר Pf. XX. 4. huic voci prorsus æquipollens, exponitur per ירשנה *in cineres redigat igne scil. cœlitus delapso.* (y) conf. c. IX. 1. 8.

25.
24.
23.
22.
21.

§. XVII. Indiuulso quoque nexu cum vera religione hæcce cultus externi forma perpetuo postmodum sociata permanfit. Hunc ipsum enim locum, prorsus singulari & augusta gratiosæ Dei præsentia manifestatione primis post diluuium rite peragendis sacris omni familia superstitioni consecratum, aramque, tantorum beneficiorum summæque Dei ergo suos benignitatis illustre monumentum, habentem, diu abhinc conuentibus ejusdem publicis fuisse frequentatum, quousque hæcce regio, quæ prima fuit habitata, adauctæ sufficiebat soboli, res ipsa facile persuadet; quem nodum veluti aut vinculum veræ pietatis & genuini cultus firmisimum ad Abrahamum usque perstitisse aperte inde, ut opinor, liquet, quod *piorum tentoria*, ad quos specialiori ratione pertinebat gratiæ fedus, & per quos *Jehoua, Deus Semi* (z), veram & priscam religionem conseruauit perpetuo, pristinis hisce sedibus constanter adhæsisse, neminemque eorum ante Abrahamum in longinqua inde diuertisse, constat (a). Cum reliqui omnes, qui sine Deo duce, ex hac pietatis officina, cogente locorum angustia, ad nouas sibi quærendas sedes primemigrarunt, a stirpe sanctæ radice auulsi, ad falsum hoc ipso Numinis cultum a vero defecerunt, ac superstitionis, ad veræ religionis imaginem effictæ, sibi ipsis euasere auctores.

§. XVIII. Primus deinceps ex illis fuit Abrahamus, promissionum maioribus datarum unicus ille hæres, & pater omnium fidelium constitutus, qui, iussu diuino patrios fines relinquens, sedem sacrorum & auitam pietatem, quæ hisce terminis maximam certe partem, si non vnice, conclusa hæctenus floruerant, alii quoque regioni intulit. Et quamuis incertis sedibus in peregrino solo per omnem vitam exulare, adeoque diuersa per loca, cum filiis Isaaco & Iacobo, eadem cum patre viuentibus sorte, sacra circumferre fuerit coactus, nihil tamen quicquam ea propter de prisca sacri cultus conditione, qua ad loca peculiari Dei inhabitatione consecrata totum fuisse restrictum asseruimus, decessit. Vt enim non proprio motu impulsus, sed *Deum gloria* h. e. Deum sub signis externis maiestatem suam decentibus ipsi apparentem, docente Stephano (b), ipsumque vocantem secutus summus iste Patriarcha, relicto dulci natali solo, ad ignotam (c) plane regionem, quam ipsum Numen ei esset monstraturum (d) contenderat; & eadem diuina manifestatione certior redditus erat de illa ad quam pertigerat terra (*): ita & postea nunquam aut mouebat, aut fixas capiebat sedes, nisi Numinis iussu, quod eum præhen-

sum

(z) Gen. IX. 26. 27. (a) conf. BOCHART. in *Pbaleg.* L. II. c. 14. col. 93. med. (b) Act. VII. 2. (c) vid. ad Ebr. XI. 8. (d) Gen. XII. 1. Act. VII. 3. (*) Gen. XII. 7.

sum velut dextera per medios barbaros circumducebat (e), instructus. Adeo singulari prorsus Dei presentia fruebatur perpetuo, quid? quod externo quoque commercio familiarissime, vt *Dei amicus* (f), *electus*, *unctus* (g), *propheta* (h) & *princeps* (i), qui intimæ esset admissionis, *consiliorumque diuinorum arbiter* (k), merito inde audiret. Quæ autem cum ita se habeant, virum sanctissimum proprio ausu humanoque consilio de iis locis, in quibus rem diuinam habuit, sibi ipsi minime prospexisse, sed horum omnium auctorem fuisse sanctissimum Numen, ea potissimum loca in quibus nomen suum commemorari iubebat, sua gloria replens, gratiosæque ac salutaris cohabitationis, quæ erat præcipuum solemnissimum istius prædicationis (l), cui omnem operam semper impendebat hic regius propheta, argumentum, externa demonstratione augusta reddens, quisque me non monente clarissime perspiciet.

§. XIX. Et hoc ipsum est, quod de prima ista ara, ad quam Abrahamus cum suis, maximaque, quibus stipatus erat, domesticorum manu, terram Cananæorum modo ingressus cultu diuino solemniter defungebatur, disertis verbis Moses ostendit (m): dum ipsi, quum ex Charris ad locum vsque Sichemi ad quercetum Moreh peruenisset, apparuisse Jehouam refert, eumque id circo ibi extruxisse aram ליהוה הנראה אליי *coram Iehoua ipsi manifestato*, seu, eo in loco vbi præsens sibi adesse Numen, quod eum e patrio solo eduxerit, visibilibus signis erat edoctus.

§. XX. Nec minus autem & cætera quoque sacrorum loca, in quibus non modo victimis solemnibusque precibus, sed *publica* quoque *prædicatione de nomine Iehoua* Deum celebrabat, vera Numinis cognitione insignem, tam domesticorum, quam foris aduentantium aliorum, collectam in illis multitudinem imbuere laborans (vt Bethel inter & Ai iterata vice, (n) & postea in querceto Mamræ (o), quod proxime abfuit ab Hebron) peculiari inhabitatione diuina fuisse initiata, sufficienter declarat, dum aras istas, quæ præcipuum erant externi cultus instrumentum, ליהוה h. e. in eiusmodi locis, quæ singularis presentia diuinitatis

C 2

tis

(e) Ies. XLI. 13. Ios. XXIV. 3. (f) Ies. XLI. 8. (g) Pf. CV. 15. (h) Gen. XX. 7. (i) Gen. XXIII. 6. (k) Gen. XVIII. 17. (l) Qua de Gen. XII 8. c. XIII. 4. XXI. 33. Nam ליהוה שם NOMEN IEHOVÆ idem plane est sicut sem fatius æstimes ac ליהוה כבוד, GLORIA IEHOVÆ, etiam quatenus hæc SCHECHINAM exprimit, seu singularis presentia gloriose ac gratiosæ demonstrationem per quam Deus salutariter hominibus innotescit, vt inductio locorum scripturæ ostendit. Vnde ONKELOSVS optime, vt solet, pro ליהוה שם frequenter substituit שכינתא ריי vt Exod. XX. 24. Deut. XII. 5. & II. (m) Gen. XII. 7. (n) Gen. XII. 8. & c. XIII. 4. (o) c. XIII. 18.

23.

22.

21.

25

24

tis præsidebat, constructas perhibet. Hunc enim particulæ hujus significatum, quem alias in Scriptura hoc in argumento ipsi perpetuum esse jam supra adstruximus, hic quoque obtinere non modo res ipsa clamitat, sed aliud quoque negotium ad eandem aram quæ fuit in agro Mambrensi gestum (p) extra omne dubium ponit. Videlicet quum Deus promissioni Abrahamo plus vice simplici datæ, de terra Cananæorum posteris ejus subjicienda, plenior tandem confirmationem adjecturus erat, varias victimarum species ad eum locum, in quo Numen, visibili forma indutum, cum Abrahamo colloquebatur, & ubi alias sacrificia facere iste consueverat, adferri jubet, solemni isti federi inseruituras. Quibus omnibus rite constitutis, post solis tandem occasum flamma, fumo admixta, diuinæ præsentia symbolum, dissecta ordineque disposita animantium cadauera transeundo deuorauit. Externa Dei præsentia hic nimis aperte exhibetur: plane eodem tamen, vt supra loquendi genere vititur. Diuinum quippe mandatum hisce exprimit: קחה לי וגו', iisdemque ejus executionem ויקח לו וגו' pro לפני adhiberi, hic nullus plane est dubitandi locus. In hunc scilicet sensum, quem optime affectus est Onkelosus verbis: וקריב קדמותה & קריב קדמי, *accepta attulit coram ipso*, seu ad locum diuina præsentia externa illustrem. Cumque præterea eodem in loco eademque procul dubio in ara, quam diu antea haud procul a tentoriis ædificauerat ליהוה, hæc perpetrata sint, quæ fuerit istorum locorum conditio clarissime inde constare potest. Eandem quoque sententiam esse ferendam de isto quem ad Beer-schabah plantauit lupo, (q) publicæ prædicationi, reliquisque, absque vlla dubitatione, pietatis muniis, precibus scilicet & victimis, destinato, cuius ex ipsius rei negotio, & hactenus dictis elucescit, vt huic itaque immorari velle oleum esset & operam frustra locare.

§. XXI. Cuncta rursus in vltimo quod memoratur, eoque notatu dignissimo, Abrahami sacrificio sunt in aprico posita. Filium scilicet Isaacum immolare iussu, cujus tamen vices aries quidam tandem subibat, sacrificii locus non generatim modo significabatur, qui erat ארץ המרידה, sed specialissime determinabatur certus quidam montium istius regionis, quem Deus ipse sit indicaturus (r). Quod signo quodam externo, flamma forassis e nubibus emissa (s) aut simili certe indicio, fuisse factum quum res ipsa doceat, quo prima statim fronte a reliquis circumjectis mon-

(p) Gen. XV. (q) c. XXI. 33. (r) c. XXII. 2. (s) Quo facit Iudæorum sententia in Cap. R. ELIESARIS c. 31. Abrahamum cum Isaaco tertio die sublatis oculis vidisse gloriam maiestatis diuinæ, seu columnam ignis, consistentem supra montem.

montibus potuerit discerni (ε), specialem quandam praesentiam Dei id ipsum oculis simul insinuabat. Ut adeo eo minus in eo, quod diuinitus mandatum erat, promte exsequendo, potuerit haesitare, quum ipsum Deum huic negotio inaugurantem cerneret locum. Sed haec ipsa mox illustrissime se ostentabat ara jam extracta, omnibusque ad jugulandum filium plane dispositis, quum angelus Jehouae, qui ipse Jehoua erat, de caelo inclamaret, ictum intercipiens. Et iterum, peracta arietis, peculiari prouidentia oblatus, victima, amplissima summi obsequii praemia pollicitus, solemniter iuramento sancita. Quae augusta plane salutarisque Dei manifestatio non una ratione facta, ita in vulgus promanauit, ut inde ipsi huic monti Mosis adhuc aetate haereret appellatio (u). Et sane si hanc regionem in qua haec gerebantur paullo propius intueri placet, dudum antea eam frequentissimis Dei manifestationibus illustrem, ac publicis ea propter sacris diuinoque cultu celebratam deprehendemus. Et prius quidem vel ipsa forma externa vocis מוריהו (x) deriuaueris, seu compositionem ex eadem & nomine מיהו admittendam malis: ut optime SYMMACHVS id exprimit per τὴν γῆν τῆς ὀπτασίας, (y), & Vetus interpres illum secutus per *terram visionis* seu apparitionis diuinæ. LXX. autem per τὴν ὑψηλὴν, & Aquila -- τὴν ἀσάφαντῃ conuertentes, quasi is locus ab eminentia qua procul cerni potuit ita denominatus sit, non sibi satis constant; cum id, quod omnibus commune, in regione praecipue crebris multoque altioribus jugis obsita, vni indiuiduo nomen dare minime potuit. Posterius ONKELOSVS & PSEUDO IONATHAN exprimunt per ארעא פולחנא h. e. *terram cultus* diuini reddentes, ad radicem מיהו forsitan simul respiciendo. Quamuis enim tanta non sit Iudaeorum auctoritas ut suam sententiam, quam magno consensu tradunt (z), plurimis Christianorum ipsoque nostro B. LUTHERO (a) admodum probatam, nobis quoque patiamur obtrudi, rationibus bene multis obstantibus, in hoc ipso monte Adamum cum filiis Caino atque Habele jam ante diluuium, & post illud Noachum & Semum, immo si nonnullos audias (b) ipsum quoque Iacobum, sacrificia fecisse; ut idem (c) adeo locus inde a

C 3 mun-

(ε) conf. I. c. v. 4. (u) vid. I. c. v. 14. (x) Ipsa SS. probante. conf. Gen. XXII. 14. & II Chron. III. 1. (y) Visionem notat ordinari quae fieri solet κατ' ὄρα. conf. II Cor. XII. 1. (z) vid. פירקי רבי אליעזר c. XXXI. & MAIMON in tract. de domo electa c. II. th. 2. (a) in comment. ad h. l. pag. 190. (b) vid. ABARBANEL ad Gen. XXVIII. 11. & Pirke Elieser. c. 35. it. in Breschit Rabba fol. 62. c. 2. l. 19. 20. & in מתנות כהונה l. c. l. 20. 21. Sed hos tacere iubet Ios. XVIII. 13 coll. cum 16. (c) conf. I Chron. III. 1.

25
24
23
22
21

mundi initio sacris tantorum nominum, & omnium ecclesiæ veteris capitum fuerit insignis, quem David sequiori ævo insigni benivolæ præsentix diuinæ documento denuo edoctus (*d*), *Jehoua*, venerando isti Numini proprium, eaque propter totius Israelis, Abrahæ, ex hoc Isaac, nepotum, cultui destinandum merito censebat (*e*), & quem si vnquam alium GLORIA DEI tam condito ibi per Salomonem templo, sub igne cœlo delapso (*f*), quam eodem per Serubabelem restaurato, in carne manifestata (*g*), inhabitauit illustrissime: hoc tamen cœu euictum videtur, quamuis non ignorem post HIERONYMUM (*h*) multos aliter opinari, Melchisedekum, qui tamen non est Semus vt perperam multi cum Judæis credunt, regis in vrbe Salem, quæ postea Jerusalem, & sacerdotis publici (*i*) officio insigni auctoritate fungentem, in hocce iugo cultui sacro, solemnî ritu peragi solito, præfuisse, & suæ non modo vrbs, sed totius regionis istius aliorumque accolarum nomine sacrificia Deo obtulisse. Vnde ipse quoque Abrahamus decimas spoliolum omnium, e quibus ipse ne vel tantillum desiderabat, ei iure deberi censebat (*k*).

§. XXII. Nec aliter instituisse filios Isaacum & Jacobum deprehendimus. Immo horum exempla ea quæ hæcenus dicta sunt mirifice illustrant, & summam locorum, a Deo suæ venerationi semel constitutorum, religionem manifeste produunt. Quantum enim ex scripturis percipiatur, nunquam in alio loco solemnia sacra peregerunt sacrificiaque obtulerunt, nisi in iis, quæ antea Abrahamo jam in hunc usum determinauerat Deus. Non aliam profecto ob causam, quam vt earundem promissionum cum patre hæredes ad eundem parentis Deum, quod toties vrget (*l*) colendum, eo fortius adigeret Numen, ad eadem cultus loca restrictos. Quæ cum hæreditario quasi iure ad eos erant transmissa, non noua indigebant inauguratione, sed vltro in illis poterant operari, quamuis in omnibus istis peculiaris diuina inhabitatio & ipsis quoque se demonstraerit.

§. XXIII. Isaacus quidem tam superstiti adhuc parente quam post ipsius fata habitabat proxime a puteo *Lachai-roi* (*m*). Et vix dubitari potest, ipsi ibidem locum quendam sacris suis destinatum fuisse, vbi
pu-

(*d*) I Chron. XXI. 26. & 28. (*e*) ibid. c. XXII. 1. (*f*) I Reg. VIII. 10. 11. II Chron. V. 13. 14. c. VII. 1, 2, 3. (*g*) Hag. II. 7, 9. coll. Mal. III. 1. Eî. XL. 5. & Ioh. I. 14. (*h*) in epistola ad Euagrium CXXVI. (*i*) vid. præter SS. ipsam Gen. XIV. 18. Pf. CX. 4. & ad Ebr. VI. 4, 6. & c. CLERICVM ad h. l. & SPENCERVVM de L. E. R. L. I. c. 6. S. II. p. 13. (*k*) Gen. XIV. 20. Ebr. VII. 1. 4. (*l*) conf. Gen. XXVI. 3. 5. 24. c. XXVIII. 13. c. XLVI. 3. Exod. III. 6. & c. XXIV. 62. & c. XXV. 11. (*m*) conf. cap.

publico quoque cultui suorumque institutioni vacare consueverit, & for-
 san ad ipsum illum puteum, ceu videtur ex eo apparere, quod Isaacus
 יצחק *ad preces fundendas* (n) egressus, ab hoc ipso fonte reuersus perhi-
 beatur (o). Verum hic ipse locus non modo singulari quadam Jhouæ
 filii Dei apparitione, Agaræ facta, erat illustris, vnde æternum quoque
 nomen & celebritatem fons iste traxit, sed Abrahamus quoque ibidem
 per aliquod tempus commoratus est (p). Verum cum nihil certi nec de
 diuina manifestatione Isaaco aut etiam Abrahamo hic loci facta, neque
 tamen quicquam de sacrificio oblato, constet, his immorari non placet.

§. XXIV. Plus omnino momenti nostro argumento adfert quan-
 do Beer-Schebam, natale solum, repetens prima statim nocte quum eo
 peruenisset patrium Numen habuit sibi manifestatum, ejusque constan-
 tis præsentiae gratiosæ, tutelæ, ac benedictionis promissione confirmatus,
 constructa ara, publicum solemnemque cultum, quem pater per plures
 annos ibidem exercuerat, restaurauit (q). Vnde tandem, postquam &
 ipse magnam ætatis partem hic contriuisset, patrem ulterius secutus,
 Mamrem concessit, fati diem ibidem expectaturus (r).

§. XXV. E rebus autem Jacobi hæc thesis planissime liquet.
 Qui omnia ista loca quæ Abrahami sacris olim celebrata scri-
 ptura perhibet, eodemque plane, quo ille, ordine inuisit cultuque di-
 uino solemnî ritu in illis est defunctus. Vnico illo qui plane singulari
 ratione a Deo Abrahæ in monte Moria definitur excepto. Quum
 enim & Charris reuertens opibus auctus & familia ad patrem Isaa-
 cum contenderet, licet de peculiari præsentia Dei dum in itinere detine-
 batur, non tantum diuina promissio (s), sed externa quoque apparitio
 Dei, sub viri persona cum eo colluctantis (t), & angelorum ipsi obuian-
 tium (u), eum redderet certissimum, non tamen ullibi solemnem cultum
 instituit, & ne Succothis quidem, quamuis satis diu, exstructa domo (x),
 ibi hæreret, sed eo demum in loco, vbi Abrahamus Deo e patria ipsum e-
 ducenti primam aram erexerat, in agro nempe Sicimorum, & ipse suorum
 sacrificiorum primitias eodem Numini ad patrios lares eum reuocanti
 persoluit. Quibus minime refragatur quando de Jacobo antea in mon-
 te Gilead cum focero fedus percutiente dicitur (y): וַיִּזְבַּח זֶבַח in loco
 vbi

(n) vide Pf. CII. 1. CXLII. 3. & Iudæi ad h. l. notant אין שיחה אלה תפלה
 Non occurrit vox שיחה nisi in sensu orationis. vid. BRESCHITH RABBA f. 54.
 c. 3. l. 33. it. fol. 62. c. 2. l. 24. & in BAMBIDBAR RABBA f. 171. c. 4. l. 2. (o)
 Gen. XXIV. 62. 63. (p) vid. Gen. XX. 1. coll. cum c. XVI. 7. & 14. (q) Gen.
 XXVI. 23. 24. 25. (r) c. XXXV. 27. (s) Gen. XXVIII. 15. c. XXXI. 3. (t)
 c. XXXII. 25. sqq. (u) l. c. 2. 3. (x) c. XXXIII. 17. (y) Gen. XXXI. 54.

25.
 24.
 23.
 22.
 21.

vbi nunquam Abrahamus legitur obtulisse, nec vllum factæ diuinæ apparitionis vestigium extat. Ista enim non de sacrificio sed conuiuio (z) loqui manifestissimum est. Nec aram extruxisse sed tumulum lapidum coaceruasse (a) in perpetuum initi pacti monumentum dicuntur, juxta quem vt moris erat (b) in pangendis foederibus, Jacobo cognatos suos inuitante לחם לאכול ad conuiuium (c) quod instruxerat, laute sunt epulati.

§. XXVI. Hinc porro mouens tentoria monente Deo (d) Beth-
elem perrexit, vt eundem locum, quem Abrahamus solemnî cultu & præ-
dicatione publica, bis ibidem instituta (e) celebrem reddiderat, sacris
quoque suis illustraret. Et sane adcuratori consideratione hic locus
est summe dignissimus, qui omnia, quæ ad præsens argumentum perti-
nent, tanto lumine perfusa ostendit, vt demonstrare quis harum rerum
fuerit ante latam legem conditio vel solus sufficere posset. Cum enim
Iacobus in Mesopotamiam tenderet, in sciusque in eundem locum inci-
disset (f) qui parenti olim fuerat sacer, modo plane augustissimo Jeho-
ua, Dei filius (g), scalæ per quam adscendebant descendebantque ange-
li innixus, & in eo האלויים נגרו אליו reliquæ simul diuinitatis perso-
næ (h) ipsi reuelabantur. Hoc ipso inquam in loco Iehoua Deus Abra-
hami & Isaaci, (i) NUMINA ILLA (k) quæ auum cum posteris extra
fines patriæ in terra peregrina, semini tamen ipsorum subjicienda, erra-
re iusserunt, hunc promissionum maioribus concessarum hæredem asse-
rere voluit (l). Qua prorsus singulari Deo פועיל motus, inquit,
אכן יש יהוה במקום הזה ואנכי לנת ידעתי h. e. profecto, Ie-
houa EST in hoc ipso loco, quod ego non cogitarem. (m) Sanctissimum
virum Deum vbiuis esse præsentem ignorasse, nefas foret & absurdissi-
mum vel mente fingere. Alius ergo subit verbis hisce sensus necesse est.
Scilicet ignorabat, hunc, in quem forte, vel Deo potius gressus ejus sin-
gulari ratione ita moderante, peruenerat, ejusmodi locum esse, in quo
Deus

(z) vid. Deut. XII. 14. 21. I Reg. XIX. 21. Prov. XVII. 1. I Sam. IX. 12. 13. Act. X. 13.
quo etiam facit R. S. IARCHI ad h. l. voces ויזבח זבח exponens per שרש
בהמורה למשתה מזלזל iumenta in conuiuium. (a) l. c. v. 45. 46. sqq.
(b) conf. c. XXVI. 30. (c) vid. c. XXXI. 54. coll. cum v. 46. (d) Gen. XXXV. 1.
(e) c. XII. 8. XIII. 4. (f) XXVIII. 10. 11. (g) Qui enim hic vt c. XXXI. 3. nude
מלאך האלהים est ipso Iacobo est XXXI. 11. ipso Iacobo est מלאך האלהים & c. 48. 6.
& idem viri indutus persona cum eo
colluctabatur c. XXXVII. v. 25. 29. 30. 31. coll. cum. XXXV. 9. 10. sq. vnde optime in
hoc nostro loco יהוה a Chaldæo redditur per יקרא ריי (b) vid. c. XXXV. 7.
(i) juxta c. XXVIII. 13. (k) c. XX. 13. (l) c. XXVIII. 13. (m) l. c. 16.

Deus peculiari gratiæ præsentia, suis adsit propitius, seu, vt ONKELOS habet, *vbi שרו יקרא רוי שרו* GLORIA IEHOVAE vel *השכינה*, vt est in BRESCHITH RABBA (n), *habitet*, & vbi cultores suos ad sui admittat venerationem : vt proxime subijuncta hoc plenius declarant, quando, loci religione ductus, *quam reuerendus*, pergit, *est hic ipse locus! non alius hic est nisi בית אלהים locus Numinis* h. e. cui modo longe specialissimo præest, sibi soli suoq; cultui appropriato vnice(o), *Et hic est porta cæli* quæ aditum ad ipsum Deum pandit, per quam ad homines ipse descendit suaque in illos bona deriuat (p). Hunc proinde venerandum illum esse locum, qui ipsi quoque futurus sit *בית אלהים locus Dei* h. e. ubi præsens Dei Numen sacrificiis precationibus & gratiarum actionibus solemniori ritu peragendis a se suisq; sit celebrandum. Lapidem itaq; inunctum oleo statuit in sacrum hujus diuinæ apparitionis monumentum, atque præsentia Dei singularis sanctique loci externum indicium (q), ne qua forte a genuino cultus loco aberrandi detur occasio. Hæc autem omnia eo manifestiora euadunt, quum ipsius Dei, non talia modo probantis, sed iterum iterumque inculcantis accedat (r) testimonium. Hunc ipsum quoque locum peculiari quadam ratione a se inhabitari eo ostendit clarissime, quod non tantum verum & solum Deum se ipsum vocitet, aut Deum Abrahami & Isaaci, sed *Deum Beibelis* (s). Taatopere semper voluit esse cautum, ne hominum mentes dispersæ passim errarent, sed vt de vero Deo cogitantes in certum quendam locum ipsa appellatio ab illis ipsis desumpta simul defigeret. Quam singularem præsentiam in hoc loco reduci cum suis post sacra illa solemniora, insigni religione, postquam familiam quam secum ducebat antea lustrasset, peracta, denuo sub

D

for-

(n) fol. 67. col. 3. l. 11. (o) conf. 1 Chron. XXII. 1. it. Ps. LXVIII. 16. vbi ecclesia N. T. sub schemate montis Basan depicta dicitur *הר אלהים* mons Dei. h. e. juxta v. 17. quem ELOHIM desiderat pro sede sua & in quo juxta v. 18. *יהוה יושב יושב* *Iehoua habitat*, ADONAI infinitorum angelorum myriadibus stipatus, haud secus ac olim in Sinai. Quo de vid. Deut. XXXIII. 2. coll. Ex. XXIV. 16. & alibi. Qui itidem ob hanc singularem Dei præsentiam vocatur *הר אלהים* vt Exod. III. 1. 1 Reg. XIX. 8. Ita optime in MATTANOTH KEHVNNA fol. 67. b. l. 10. hæc verba ita explicant *אין כוונתו אם בית מיוחד לאלהים Non est nisi locus Numinis propius* & in quo juxta ONKELOSVM beneuolentia diuina singulariter se ostendit, eaque propter est *מקום המיוחד לתפלה locus orationi destinatus* juxta fol. 62. 2. l. 20. & 21. (p) conf. 1 Reg. VIII. 29. sqq. & c. IX. 7. II Chron. VI. 20. VII. 15. 16. & *מתנות כהונה* fol. 67. b. l. 10. 11. (q) v. 22. lapis hic quem posui in statuam *יהוה* erit & c. id est *determinabit* indicabit locum in quo mihi Deus est colendus. (r) vid. Gen. XXXI. 13. & XXXV. 1. (s) cap. XXXI. 13.

25

24

23

22

21

forma visibili ostentabat Numen, dignissimam quam alia rursus statua Iacobus posteritati commendaret. (t)

§. XXVII. Confecto postmodum itinere ad patrem Isaacum, Mamræ tum commorantem (u) reuersus est. Cumque hunc locum qui fuit præcipua Abrahami sedes, constanter habitauit (x), quamdiu in Canaan degebat, in eundem quoque locum, qui hic majorum suorum sacris fuerat constitutus, illum successisse patet.

§. XXVIII. Nec istum tandem qui fuit in *Beer-shebab* potuit præterire. Quum enim in Aegyptum tendens eo peruenisset, oblati sacrificii Deum patris sui *Isaaci* solemni cultu celebravit (y), ejusque externa præsentia, insequente nocte ipsi hic exhibita, promissionibusque amplissimis (z) confirmatus abiit. Et ita vltimis quoque sacris, solemni ritu peractis, in illo ab auo suo instituto (a), & a parente restaurato (b) loco cum suis est defunctus.

§. XXIX. Summam ergo hisce locis omnibus sanctitatem peculiarem Numinis venerandi præsentiam viris sanctissimis in illis exhibitam conciliaffe, vniceque illa omnem eorum pietatem sibi alligasse sole quidem meridiano ex dictis clarius elucescere puto. Attamen maximum adhuc pondus iis inde accedit, quod minime cum patribus hisce illorum religionem exspirasse, sed omnium ac singulorum sanctissimam venerationem ad feros perstitisse posteros, cultuique sacro & rebus diuinis rite peragendis diu omnia adhibita, sed in turpem tandem idololatriam & superstitionem singula fuisse detorta deprehendere licet.

§. XXX. Nimirum eodem loco vbi Deus olim gentis Ebrææ auctorem Abrahamum primum constituerat terræ Cananæ hæredem, & vbi hic, extructa ara, genuinis sacris Deum gratiose sibi manifestatum celebravit primum: & vbi postea Iacobus aram restituit *fortis Dei Numinis Israelis* (c) a se vocatam: ibi quoque auspicata possessionis ejusdem terræ initia Israelitas facere voluit (d), & instaurata prisca ara *Jehouæ Dei Israelis* (e) in monte Ebal patriis moribus patrium Numen venerari, & inscripta ei summa legis diuinæ, eadem patriæ religionis norma, ad eam execrationes, benedictiones autem in monte Gerizim, huic opposito, in eos qui diuinam legem autamque religionem aut obseruaturi, aut migraturi essent, proclamari iussit. Hos duos enim ejusdem montis vertices querceto Moreh imminuisse ex apertis Mosis verbis Deut. XI. 30. constat.

Nec

(t) c. XXXV. 9. sqq. 14. (u) Gen. XXXV. 27. (x) ceu patet ex Gen. XXXVII. 14. (y) c. XLVI. 1. (z) l. c. v. 2, 3, 4. (a) Gen. XXI. 33. (b) c. XXVI. 25. (c) Gen. XXXIII. 20. (d) Deut. XI. 29. XXVII. 2. sqq. (e) Ios. VIII. 30.

Nec alium magis aptum renouando hujus gentis cum Deo federi censebat (f) Josua sub vltimis vitæ diebus constitutus, quam hunc memorabilem locum, qui ipso adpectu non parum animos mouere, & summorum Dei in ipsos collatorum beneficiorum, auræque pietatis memoriam reuocare, & sui vicissim officii eos admonere valeret. Summam enim hujus loci venerationem pristinamque sanctitatem animis omnium tunc temporis firmiter adhuc inhæsisse hinc facile colligas, quod לפני האלהים *coram Numine* seu in ejus præsentia singulari, haud semel ibidem demonstrata illustrissime, conuocatos Israelitarum principes sterisse perhibetur, & quod augustum illud *sanctuarii Jebouæ* nomen haud deposuerat (g). In quo dum sacrum quoddam monumentum antiqui federis renouati, eundem veri Numinis cultum qui hinc augusta in sua gente inicitia duceret se sanctissime retenturos, lapidem eximæ magnitudinis sub quercu quam habebat erigeret, perpetuæ illud posteritatis memoriæ & venerationi denovo commendabat. Vnde ארון מצב *quercus statua* hæc arbor abhinc vocabatur (h), cui Abrahamus ארון מורה *quercus monstratoris* nomen, quod juxta illam Deus apparens terram istam ad quam abire eum iusserat monstrasset (i), indiderat. Et ob perennantem istam religionem solemniter creandis regibus hic locus postmodum haud semel adhibebatur, vt de Abimelecho (k) itemque Rehabeamo (l) & Jeroboamo (m) memoriæ est proditum. Immo multorum sæculorum decursum sanctam illam loci reuerentiam excutere animis haud valuisse facile hinc apparet, quod Sanballates templo, quod in æmulationem atque inuidiam istius Jerusolymitani hic struebat, maximam haud difficulter auctoritatem posse inde conciliari speraret. Et sane res optime & voto successit. Tanta enim apud illam

D 2

gen-

(f) Ios. XXIV. 1. (g) vid. v. 26. qui ad tabernaculum cum arca federis huius negotii causa eo translatum confugiunt, nil quicquam suæ conjecturæ in Scriptura inueniunt præsidii, & maximis præterea difficultatibus, e quibusuis vix vlla datur commode elabendi via, se ipsos impediunt. Præsentiam Dei specialem non soli arcæ aut tabernaculo sub hisce temporibus fuisse alligatam, sed quibusuis aliis locis singulari Numinis manifestatione claris attribui, quæ cultui eius proinde consecrata erant, oppido patet ex Iud. XX. 1. coll. v. 27. 1 Sam. VII. 5. sqq. coll. v. 2. c. X. 17. sqq. c. XI. 14. 15. &c. Vt alia multa taceam, it. quod eo tempore quo cultus ordinarius vixit in Schilo tabernaculum non facile alio potuerit transferri: quandoquidem in Schilo constructa erat domus e lapidibus, cui superimposita tabernaculi velamenta, vt tradunt Talmud. in SEVACHIM c. 14. th. 6. coll. MAIM. hilk. beth habbech. c. I. th. 2. & BARTENORA ad Mischnæ l. c. scripturæ littera nixi, vbi passim vocatur בית quam temere nullaque de causa dissoluere consueuisse haud crediderim. Quod autem jam Iosue ætate hæc domus condita sit vel ex Iud. c. XIX. 18. constare potest. (h) conf. Iud. IX. 6. (i) vid. Gen. XII. 6. 7. coll. v. 1. (k) Iud. IX. 6. (l) 1 Reg. XII. 1. (m) l. c. v. 20.

25

24

23

22

21

gentem istius erat sanctitas vt maximo saepe animorum motu illo Ierufolymitano anteponeretur, perpetuaque hinc enascerentur jurgia. Et diruto quoque per Hyrcanum templo, istius tamen Gerizitani montis integra permanfit religio, adeo vt, teste ANASTASIO ANTIOCHENO (n), Samaritani in quacunq; mundi plaga fuerint constituti ad illum adorantes conuerterentur, haud secus atque Iudaei ad suum templum. Non aliam certe ob causam quam quod ipsorum patres in hoc monte adorarint, vt ab illa Samaritide, hanc quaestionem Saluatori optimo mouente, proditum legimus (o).

§. XXXI. Beth-el quoque pristinam suam celebritatem ac religionem perpetuo retinuit. Vnde post Iosuae fata arcam federis aliquandiu ibi constitutam, & publica sacra ibidem peragi solita fuisse videmus (p). Et iterum aetate Samuelis (q), destructa qua Schilunte erat domo Iehouae, arcaque Kirjath-jearimis a Philistaeis restituta. Eandemque ob causam quotannis ibidem Samuel congregato populo jus dicere (r) consuevit. Cum tantis itaque religionibus hic locus esset consecratus, & non veterum modo memoria insigniter se commendaret, sed recentioribus quoque temporibus vero cultui diuino rite peragendo inseruiffet, huc facile impelli posse hominum animos a vero cultus loco, qui solus tum Ierufoly miserat, auocandos, haud temere putabat Ieroboamus, religionem in dominandi instrumentum callide & pessime detorquens. Et profecto spe sua haud quaquam excidit, nullo enim negotio id effecit, vt totus Israel, frustra reclamantibus Prophetis, coeco impetu huc raperetur (s), dum reuocari se potius ad antiquissimam omnium auitamque pietatem, quam nouis initiari sacris sibi videbantur. Sed ita locus ille qui optimo jure בית אל *domus Dei* vocabatur in בית און *domum vanitatis* (t) conuertebat turpiter.

§. XXXII. Nec citius istius sacrarii, quod sub quercu Mamrae erat, euanuit honos. Imo cum Triumvirorum istorum sacris omnium maxime celebratum, omniumque augustissimis & frequentissimis Numinis manifestationibus illustratum fuerit, antiquam illam religionem diu-

(n) Quaeft. 45. ap. OLEAR. in obseruat. in Matth. pag. 179. (o) Ioh. IV. 20. (p) conf. Iud. XX. 13. 23. 26. 27. 28. c. XXI. 2. 4. Non quidem desunt qui בית אל appellatiue sumunt, pro Domo Dei & Silo intelligunt, sed omni desituti fundamento. Nunquam tabernaculum in Silo constitutum aut etiam templum Ierufol. vocatur בית אל, quod semper vrbi ita dictae proprium, sed vel בית יהוה vel בית האלילים. Imo in hoc ipso c. XXI. 19. Silo & Bethel sibi opponuntur. Et v. 4. cap. cit. dicitur populus ibi aram pro hostiis offerendis extruxisse, irrito certe & superuacaneo labore si in Silo factum fuisset, quum ibi praesto adfuerit altare aeneum, victimis capacissimum, conf. II Chron. I. 6. quod contra BONFRERII exceptionem notandum. (q) I Sam. X. 3. (r) c. VII. 16. (s) I Reg. XII. 28. sqq. (t) vid. Hof. IV. 15. X. 5. coll. Am. V. 5. &c.

diutissime quoque seruauit. Ita Hebronem abiisse totius Israelis seniores, federeque cum Dauide pacto ad tribus Iuda exemplum, regem cum ibidem inunxisse לפני יהוה *coram Iehoua* sacra ostendit historia. (u) Nullus erit horum uerborum sensus scripturæ stylo satis accommodatus, nisi de hocce loco, quem Numinis diuini præsentia toties hic exhibita augustum fecerat, quique ברוך רון (x) *proxime ab Hebron* distabat (y), ea interpreteris. Talia autem comitia publicæ rei causa instituta, sub dio in huiusmodi locis olim celebrari potissimum consueuisse plurima docent exempla (z). Ipsi certe Constantini M. æuo istum locum, quem tunc Terebinthum uocarint, in maxima adhuc extitisse ueneratione EVSEBIUS (a) atque HIERONYMUS (b) testantur, & multis SOZOMENUS (c). Qui ultimus ibi quotannis, refert, Palæstinos & finitimos celebrem πανήγυριν *conuentum agere* consueuisse, non modo negotiandi causa uerum etiam religionis, festumque illud quibusuis, non Judæis tantum & Christianis sed etiam gentilibus desideratissimum fuisse, quod angelos ibi Abrahamo adparuisse omnium tenebatur consensu. Singulos porro pro cultu ac religione sua hunc locum uenerari, & unumquemque quod sibi charissimum, id toto anno alens sedulo ac saginans, ex voto ad epulum festi illius sibi ac suis seruare, & summa ceterum religione omnes tempus illud obire solitos fuisse. Constantinum autem his auditis non mediocriter objurgasse Palæstinæ Episcopos quod officium suum neglexissent, & locum sanctissimum impurissimationibus & sacrificiis inquinari passi essent, in epistola ab ipso scripta ad Macarium Hierosolymorum Episcopum, & Eusebium Pamphili aliosque Episcopos Palæstinæ. Illisque præcepisse ut ara, quæ prius illic steterat funditus euerfa ac repurgata, statuisque incendio consumtis, Ecclesiam ibidem designarent uetustati loci & sanctitati convenientem, darentque operam ut in posterum locus ille a libamentis & sacrificiis uacuus esset: adeo ut nihil aliud quam ueri Dei cultus juxta Ecclesiæ leges ibi celebraretur. Juxta quam epistolam rectores prouinciæ & sacerdotes Christi, quæ mandata fuerant opere compleuissent. Adeo sub u-

D 3 tra-

(u) II Sam. V. 3. (x) Gen. XIV. 13. (y) VI Aadii IOSEPHO L. V. de B. J. c. 7. SOZOMENO a. XV. in H. E. L. II. c. II. (z) ut Ios. XXII. 12. c. XXII. 1. Iud. XI. 11. ubi Jephthah dux constitutus. c. XX. 1. I Sam. VII. 5. & 16. X. 17. ad Samuelem in regem eligendum X. 14. ad eundem in imperio confirmandum. Et de Abimelecho Rehabeamo & Jerobeamo regibus hoc ritu creatis uid supra §. 30. (a) πρη. τρηκ. ανακτ. in Hom. voc. Δεκά. (b) De locis Ebr. in voce Arboch. (c) Histor. Eccles. L. II. c. IV. pag. 447. edit. Valef.

25

24

23.

22.

21.

traque Oeconomia veri Numinis cultus, sanctissimis ritibus celebratus, eodem in loco vignet.

§. XXXIII. Et Beer-schebæ quoque religionem, vbi Abrahamus Isaacus & Jacobus Deum præsentem viderant, eumque castissima pietate coluerant, in superstitionem tandem apud Judæos abiisse ex Amosi c. V. 5. & VIII 14. manifestissime constat (d). Ne quid nunc commemorem de monte Moriah. Quæ enim fata hunc tandem manserint, & hodie adhuc sustineat, trita sunt & peruulgata omnibus.

§. XXXIV. Neque vero gentis Israeliticæ majorum hanc fuisse præ aliis omnibus prærogatiuam, quod *Deus ipsorum* in illorum *habitarit* tentorii, sed horum exempla, quæ vnice fere scriptorem sacrum occupant, quorumuis simul Dei cultorum hujus æui statum exprimere, facile omnibus mecum conueniet. Cum in his, quibus genuinus cultus vnice constat, fidelium omnium ante legem latam non potuit non vna esse ratio eademque conditio. Cui accedit, quod ex Melchisedeci non modo, de quo jam supra egimus, sed Jobi quoque & amicorum suorum sub hisce temporibus clarorum, exemplis idem satis aperte colligi possit. Non solum enim hicce liber, qui hujus enarrat historiam, victimas plane oblatas ad Patriarchalem sacrificandi morem ac ritum, sed: reuelationum quoque & præsentia Dei eandem frequentiam eundemque modum ostendit. Sic ipse Jobus fatetur (e) *Lucernam Dei* olim super caput ipsius luxisse, ejus splendente *Lumine* per tenebras eum incessisse, *arcanum venerandi Numinis* super tentorium suum stetitisse, *Omnipotentem cum ipso fuisse*, & summa proinde felicitate se abundasse. Singularem Dei præsentiam, quæ gloriosissime subinde se demonstrabat, intelligi, vel ipsæ voces suadent, & ulterius inde apparet, quod omnibus oppressus miseriis hancce præsentiam Numinis plane sibi esse subductam, vt inuenire illam nullibi detur, nec ad sedem ejus pertingere, vt *coram* suam agere posset causam (f), conqueritur, & quod tandem satis probato ea restituebatur ita, vt auris loquentem audire Deum, & oculus ejus videre præsentem potuerit (g). Huic ergo præsentem Deo & sua suorumque sacrificia (h) in loco cultus publico semper illum obtulisse necessum est, cui post illam, quam sustinuerat, calamitatem poenitentia ductus sua ipse confitebatur peccata (i), & amicorum suorum, vt Deus ipse mandauerat, allatas hostias offerebat (k). Quæ omnia status Patriarchalis instar prorsus habent.

§. XXXV.

(d) confer KIMCHIVM & TREMELLIVM ad h. l. (e) Job. XXIX. 3. 4. 5. sqq. (f) c. XXIII. 3. 4. (g) c. XLII. 5. (h) c. I. 5. (i) c. XLII. 6. (k) l. c. v. 8. 9.

§. XXXV. Caterum nec alius fuit sacrorum status post Israelis descensum in Aegyptum. Quantumvis enim nullibi legatur externa Dei illic Jacobo aut posteris suis ante Mosen facta adparitio; qui quidem sanctissime oraculo Beer-schebæ dato se cum ipsis in Aegyptum descensurum, istamque præsentiam suam mira sobolis multiplicatione abunde demonstraturum erat pollicitus (1): nullum tamen inde dubium aduersus determinata diuinitus sacris loca moueri poterit, cum nunquam hic loci, quod ex Mose aperte constat (m), sacrificiis Deum celebrarint, cultuque solemnii sint defuncti. Sed cum res externæ maximam omnino vim habeant in rebus ad religionem spectantibus, ut in aliis omnibus, ad hominum animos, vulgi præcipue mouendos, & proinde sacrificia antiquitus vere dixeris pietatis fulcimenta, fieri aliter non potuit quin his prohibiti, accedente diuturno cum Aegyptiis commercio, & misera præcipue seruorum conditione, pristina pietate labentibus seculis sensim inclinata, ad foedissimam dominorum suorum idololatriam plerique omnes raperentur, & inter paucos modo auita pietas intemerata conseruaretur (n).

§. XXXVI. Quum autem tempus tandem aduentaret dudum ante definitum (o), quod posteris Abrahami summam illam promissionem Patriarchis semel iterumque concessam (p), Deum ut *ipsorum ita & seminis illorum post eos fore Deum*, quæ duo ista præcipua, scilicet veræ religionis cultusque diuini in illa gente conseruationem, tum terræ Cananæ subjectionem complectebatur, adimpletam videret, & in libertatem populus erat asserendus, & ad patrios quos deseruerat reuocandus mores, Quapropter Mose apparuit angelus, Jehoua (q), Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, sub symbolo illo, quo præsentiam suam exhibuerat patribus ordinarie, ignis videlicet flamma, mandatisque & miraculis instructum ad populum dura qua opprimebatur seruitute liberandum ablegat, ut ad eum locum quem sua præsentia consecratum huic negotio determinarat (r), perduceretur, solemnii ritu patriis sacris rursus initiandus.

§. XXXVII. Sed prius congregiendum erat cum Amalekitis. Quibus diuina ope debellatis ea in rupe ubi precibus a Deo victoriam obtinuerat Moses, in perpetuum diuini auxilii monumentum, extruebat aram (s). Itidem in eiusmodi loco quem externa & gratiosa Dei præsentia

(1) Gen. XLVI. 3. 4. (m) conf. Exod. VIII. 21. 22. 23. vid. etiam Ies. XIX. 19.
 (n) Quod pluribus solide probat SPENCERVS de L. E. rit. L. I. c. I S. I. add. MAIMONIDES in *auoda fara* §. 10. ubi asserit solam tribum Leui in mandatis Patrum perseuerasse, cum reliqui ad colenda Aegyptiorum idolorum exemplo redierint. (o) Gen. XV. 13. (p) vid. supra ad §. 6. (q) Exod. III. 1. sqq. (r) Exod. III. 11. (s) Ex. XVII. 15.

25

24

23

22

21

tia memorabilem admodum reddiderat, non hancce modo victoriam indulgens, sed antea quoque aquam ex ea suppeditans quæ tot hominum millibus potandis sufficiebat (1).

§. XXXVIII. Postquam autem ad montem Sinai perventum erat, antequam sacris auito more rite peragendis poterat admitti, ad verum Deum castamque majorum religionem præcipue erat reuocandus populus Ægyptiorum labe totus tantusque infectus, solemnique federe prius in Dei peculium asserendus. Quapropter ascendebat Moses אֲדָוָה אֲדָוָה ad Numen illud quod hic habitare ex apparitione antea ipsi facta didicerat, mandata ad populum accepturus (2). Cumque tandem Deum inter & gentem istam internuncio Mose existente conuenerat, Deum ipsorum Deum fore, & ipsos illius populum ipsi soli consecratum (3), populo rite lustrato (4) stata die in conspectu totius gentis Jehoua, nube densissima, gloriam Domini igni deuoranti adspectu similem continente, vestitus, in montis cacumen descendit, & inter continuos tonitruum ac fulgetrorum horrores, ingentesque terræ motus & tubarum clangores modo augustissimo & ad maiestatem legislatoris indicandam plane composito toti multitudini circumfusa ipsam federis propositionem, & decem illa præcepta, federis ineundi conditiones, magna voce promulgauit. Illam quidem his exprimebat verbis: אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיךָ h. e. *Ego qui signis augustissimis me tibi præsentem sisto & de cælo tecum colloquor, Jehoua, ens illud independens a quo dependent omnia, sum Deus tuus, quem non solum vt Numen illud cui vnice competit religiosus cultus modoque tanto Deo digno, sed vt tuum Deum veneraberis, qui specialiori ratione te sibi vindicat in populum, & e seruitute tremendis miraculis brachioque extenso liberatum alis aquilarum portauit (5) vt perduceret te ad se. h. e. ad illam terram in qua certo in loco, in templo puta Jerusolymorum, constanter olim esset habiturus (6). Ex hoc autem fonte proxime fluit præceptum primum, quo in cultu Numinis externo ad solam faciem Dei, & in solis locis hac speciali præsentia Dei consecratis, peragendo, ad patriam religionem reuocabantur, quo de supra egimus.*

§. XXXIX. Israclitis itaque in fedus Dei ejusque leges, adeoque in puram majorum suorum religionem consentientibus (7), tum demum ad
sacra

(1) l. c. 6. (2) Exod. XIX. 3. (3) Exod. XIX. 4. --- 8. Deut. XXVI. 17. 18. 19. (4) juxta v. 10. 14. vt olim Iacob antequam suos ad sacra Deo præstanda admitteret remotis idolis Deo ipsos consecrabat. (5) juxta v. 4. (6) conf. c. XV. 13. 17. (7) Ex. XXIV. 3.

facra quoque auita cultumque Numinis externum majorum more celebrandum patebat aditus. Qua propter Moses ad montis Sinai radices, in loco externa Dei manifestatione dudum consecrato (d) & sacris determinato (e) singularique & externa praesentia Numinis Dei augustissimo, (f) extrucebat (g) aram, mactatisque & oblati ad faciem Dei simplici patrum ritu victimis, & aram populumque in verba libri legis pralecta iterum jurantem (h) consperfit, & adeo *sedes aeternum duraturum* solemniter confirmavit. Quarum deinceps reliquias ut mos antiquus itidem ferebat populi principes, totius gentis personam sustinentes, conuiuantes absumebant. (i)

§. XL. Nullam plane hic visibilis Dei praesentia in ipsis sacris exhibita illustrissime (k) a pristinis temporibus diuersitatem infert. Praeterquam enim quod ad accidentalialia id pertineat, quae praesens modo Ebraeae gentis conditio requirebat, vnde iugia ista & ordinaria diuinae maiestatis externa symbola federis arcae, perpetuae ceteroqui praesentiae Numinis sedi, post ingressum in terram non semper addita, templo autem secundo & sacrae Scripturae & Talmudistarum (l) testimoniis prorsus negata; minime insueta sunt superiori aetati similia plane exempla (m). Cum ergo in omnibus ceterum simillimam prisca status hic offendas imaginem, exemplum hoc habeas manifestissimum antiquioris aevi sacrorum. Quibus initiata gens Israelitica sanctae maiorum stirpi rursus inferebatur, & ad eadem vetusta haecce sacra quae inde a condito orbe continua serie fluxerant intemerate seruanda sanctissimo vinculo in omne aeuum venturum obstringebatur firmissime.

§. XLI. Ut autem cum sacrificiis sub vltima hacce vetustate comparatum erat, ita haud diuersam quoque adorationis praecumque fuisse rationem obscurum esse nequit. Quamuis enim non adeo atque sacrificia ad certa loca ea fuerint restricta, ut non potuissent nisi in illis ipsis locis quae diuinae maiestatis veneranda erant habitacula rite peragi: fieri tamen aliter non potuit quin salutaris Numinis Dei praesentia ad ea loca quae peculiari modo illustrabat adoratorios pertraheret si licebat inuisenda, & haecce *Dei facies*, quam nunquam non quaesuerere fideles, absentium quoque animos sibi praesentes susteret, & eatenus eos ad stata loca restringeret. Patres sane primae aetatis mundi itemque Noachum noui orbis

E

(d) Exod. III. 5. (e) I. c. v. 12. (f) cap. XXIV. 10. 15. sqq. (g) vers. 4. (h) juxta v. 7. (i) v. 11. (k) Ex. XXIV. 10. 15. (l) in cod. *loma* c. I. circa fin. (m) vid. exemplum Caini & Abelis, Gen. IV. Noachi c. VIII. & Abrahami c. XV. & XXII.

25

24

23

22

21

principem & omnes omnino genuinos Numinis cultores *indefinenter ambulasse cum facie Dei* e sacris constat monumentis (n). Quæ phrasis vti de jugi cum Deo præsentem commercio, totiusque vitæ ratione ad ejus tanquam conspectum composita loquitur, ita de precibus quibusvis & adoratione ad hanc præsentiam conuersis vnice eam præcipue intelligendam esse ipsa omnino res clamat. Quorum deinceps vestigia Abrahamus ejusque posteri ad quos antiqua fides illibata transiit, & omnes omnino quos vnquam habuit veri Numinis sensus, sincere secuti, eundem solum *Deum* & ipsis quoque *manifestatum* sunt venerati jugiter. *Semi enim Deus* erat qui Abrahamo apparens e domo patris sui errare eum iusserat eundem comitans continuo, qui heredem terræ Cananæ eum constituerat, qui fedus cum ipso & semine ejus post eum *se Deum illorum fore pepigerat*, *pauor* Isaaci, ANGELVS ILLE REDIMENS Iacobum ab omni malo, *BETHELIS Deus*; in cuius *præsentia* continuo *incesserunt* (o) hi patriarchæ, quem solum ipsis *manifestatum* precabantur supplices, a quo omnem tutelam auxiliû & benedictionem expectabant vnice. Hunc porro Deum patrum suorum Israelitæ in Ægypto degentes (p) majoribus *in terra Canaan* multoties *manifestatum*, ipsum imitantes parentem (q), eundemque *rubum* postea *inhabitantem* (r) precibus venerabantur, donec in ipsa Ægypto, in certissimum liberationis signum qui cum Iacobo descenderat eo (s), externo modo se sistens præsentem, & Mosen (t) fratremque haud raro vna cum ipso (u) instruens mandatis externo prolatis alloquio, statum simul precationibus locum determinaret (x). Sub iisdem procul dubio signis quibus indutus antea apparuerat Mosi, & vista tandem stupenda virtute summa regis Ægyptiorum pertinacia liberati populi castra præcedens Mosis omniumque Israelitarum precibus (y) præsto aderat, eisdemque definitum postmodum in monte Horebi (z) & Sinai (a) ac tandem in conuentus tentorio (b), quod procul a castris tetenderat Moses, visibili sua præsentia consecrabat locum.

§. XLII. Quæ differuimus hæctenus ita omnino comparata arbitramur, vt non leuem modo veritatis vmbra obijcere, sed plena potius persuasione

(n) Gen. V. 22. VI. 9. (o) vid. Gen. XXIV. 7. coll. v. 40. & c. XLVIII. 15. 16. (p) conf. Gen. L. 17. it. Exod. XVIII. 4. (q) vid. c. XLVIII. 3. 15. 16. (r) Exod. IV. 31. Deut. XXXIII. 16. (s) iuxta Gen. XLVI. 4. (t) c. VI. 1. 2. 10. 29. VII. 14. 19. 26. VIII. 1. 12. 16. &c. &c. (u) c. VI. 13. VII. 8. (x) vid. Exod. VI. 12. 13. c. V. 22. VIII. 25. 27. IX. 29. 33. (y) vid. Ex. XIV. 10. 15. coll. 19. c. XV. 1. 2. it. 25. XVII. 4. &c. &c. (z) Ex. XVII. 9. fqq. coll. 6. (a) Ex. XXIV. 1. XXXII. 30. (b) Exod. XXXIII. 7. 10.

persuasione singula suis ponderibus æstimantem omniaq; rectius componentem imbueri valeant, vltimis hisce temporibus certorum locorum ab ipso Deo venerationi suæ definitorum religiones minime fuisse ignoratas, sed ea perpetuis hisce vinculis fuisse constricta. Sin vero Candide Lector non adeo omnia in aprico posita vt negotii quidem postulat dignitas forsan opineris, & temporis breuitati, quæ primis saltem digitis grauæ hocce argumentum contrectare, & in summam omnia cogere iussit id imputabis, & nostræ imbecillitati, ardua & insolita itinera ac summam temporum vetustatem, quæ tristi silentio & profunda nocte obruit pleraque, tentanti veniam dabis beneuole. Nulli enim dubitamus amplissimam felicioribus mentibus relictam copiam de hisce rebus differendi plenius. Deum O. M. in Christo Iesu nobis præsentissimum pro concessis ad hunc laborem viribus supplices veneramur. Ipsi sit Laus Honor ac Gloria in secula.

DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

Maximum vsum tum illustranda tum confirmanda religioni Christiana præstat ecclesia V. T. & speciatim cultus diuini externi intimior cognitio §. I.

Specialissime sacrorum, in quantum ea olim ad statuta loca fuere restricta, §. II.

Communis sententia Israelitarum modo pietatem certis locis fere deuinam tradit. §. III.

Quod ad totam Veterem Oeconomiam rectius est extendendum. §. IV.

Ob communia V. T. fundamenta it. ob vniuersalem legem diuinam, & ob perpetua tandem harum rerum que supersunt in SS. momumenta. §. V.

Deus enim gratiosam suam cohabitationem semper demonstrauit sub symbolis externis. §. VI.

Quæ varii quidem generis, sed ad

presentiam Numinis clarissime exprimendam singula comparata. §. VII.

Hinc summa erga Deum reuerentia fiducia & amor hominibus conciliata, & Deus hoc modo suis manifestatus vnicum interni cultus obiectum, §. VIII.

vt & externi cultus precum scilicet & sacrificiorum. §. IX.

Hinc naturali nexu statuta fluunt sacrorum loca, ipsi diuino cultui coæua. §. X.

Idem porro primum docet decalogi præceptum Exod. XX. 3. ejusque ad V. T. statum applicatio pressior. v. 24. itemque status Noui federis oppositio Mal. I. II. §. XI.

Nec minus singula in sacris literis occurrentia cultus diuini exempla speciatimque quæ ante constructum tabernaculum præstant, planissime id. de prima hacce ætate demonstrat. §. XII.

25

24

23


22

21

Et quidem ex ipsis sacrorum natalibus hoc liquet. §. XIII.
 Statum porro antediluvianum Caini & Abelis exempla, §. XIV.
 itemque impiorum & fidelium huius aetatis conditio monstrat, §. XV.
 Per Noachum eadem sacra ad Nouum orbem perducta. §. XVI.
 Apud veros Dei cultores caste seruata. §. XVII.
 Et ab Abrahamo immutata in Canaan translata. §. XVIII.
 Ceupatet ex prima ejus ara in agro Sichemiico constructa. §. XIX.
 Itemque altera qua fuit Bethel inter & Ai, & alia in querceto Mamrae, ac postea Beerschaba §. XX.
 Ac tandem ex monte Moria. §. XXI.
 Isaacus & Jacobus iisdem semper in locis quae Abrahae a Deo terminata erant sunt operati. §. XXII.
 Isaacus enim habitauit primum ad puteum Lachai-roi. §. XXIII.
 Deinde Beerschaba restituit aram, & tandem parenti successit in Mamrensi sanctuario §. XXIV.
 Jacobus autem primum obtulit sacrificium ad Sichem. §. XXV.
 Alterum in Bethel. §. XXVI.
 Postea semper commoratus est Mamrae. §. XXVII.
 Et vltima sacra solemnia Beerschaba fecit. §. XXVIII.
 Quorum locorum omnium diuturna perstitit religio. §. XXIX.
 Scilicet istius Sicimorum §. XXX.
 Bethelia. §. XXXI.
 Mamrena. §. XXXII.
 Beerschaba & montis Moria. §. XXXIII.
 Eadem piorum omnium fuit ante legem ratio, quod praecipue Jobi exemplum ostendit §. XXXIV.
 In Aegypto Israel nunquam sacrificauit. §. XXXV.
 Sed exaelo exilii tempore sacrarum locum ipsis determinat Deus. §. XXXVI.
 In monte Horebi construitur altare §. XXXVII.
 Solemni federe ad verum Deum & auitam pietatem reuocatur gens Hebraea. §. XXXVIII.
 Et primas victimas patrio more in statu sacris loco offert. §. XXXIX.
 Preces itidem ad demonstratam Dei praesentiam & eatenus ad certa loca semper directas fuisse exempla piorum demonstrant. §. XL.
 Vnde colligitur statuum locorum religiones omne auum ante tabernaculum perpetuis vinculis obstrictum tenuisse, & ita dissertationi finis imponitur. §. XLI.

CORRIGENDA.

Pag. 5. lin. penult. lege intelligenda. p. 7. l. 24. וְיִשְׁרָאֵל p. 8. l. 6. constituenta, p. 9. l. 22. sensus. p. 10. l. antep. pro t leg. sit. p. 11. l. 3. reuelentur. l. 21. pro o- leg. omni, l. 22. pro co leg. loco. l. 23. GLORIA. l. 28. pro col. l. fol. p. 12. l. 13. PLETA. l. 22. consecra- p. 13. l. 20. CAPPELLVS, p. 14. l. 26. diuino. l. vit. pro a leg. ita. p. 18. l. 6. ga p. 23. l. 23. ex. l. 31. eidem. p. 24. l. 13. quae. p. 26. l. 5. inhabitauit. p. 27. l. 25. inf. ex p. 28. l. 1. illi. l. 25. וְיִשְׁרָאֵל p. 32. l. 2. dele in- Reliqua humanitati L. commendamus.





Et quidem ex ipsis sacrorum natalibus hoc liquet. §. XIII.

Statum porro antediluvianum Caini & Abelis exempla, §. XIV.

itemque impiorum & fidelium huius aetatis conditio monstrat, §. XV.

Per Noachum eadem sacra ad unum orbem perducta. §. XVI.

Quid veros Dei cultores caste §. XVII.

Abrahamo immutata in §. XVIII.

prima eius ara in a- §. XIX.

strueta. §. XIX. quae fuit Bethel §. XX.

in querceto §. XXI.

Mamra §. XXI. §. XXI.

Acta §. XXI. §. XXI.

Isaacus §. XXI. §. XXI.

per in locis quae §. XXI.

nata erant sunt §. XXI.

Isaacus enim bap- §. XXI.

puteum Lachai-roi. §. XXI.

Deinde Beerschaba §. XXI.

& tandem parenti successi §. XXI.

rensi sanctuario §. XXIV. §. XXIV.

Iacobus autem primum obtulit §. XXV.

sacrificium ad Sichem. §. XXV. §. XXV.

Alterum in Bethel. §. XXVI. §. XXVI.

Postea semper commoratus est §. XXVII.

Mamra. §. XXVII. §. XXVII.

Et ultima sacra salemnia Beer- §. XXVII.

schaba fecit. §. XXIIIX.

Quorum locorum omnium diuturna perstitit religio. §. XXIX.

Scilicet istius Sicimorum §. XXX. §. XXX.

Bethelis. §. XXXI. §. XXXI.

Mamrena. §. XXXII. §. XXXII.

Beerschaba & montis Moria. §. XXXIII. §. XXXIII.

Eadem piorum omnium fuit ante legem ratio, quod praecipue Jobi exemplum ostendit §. XXXIV.

In Aegypto Israel nunquam sacrificavit. §. XXXV.

Sed exacto exilii tempore sacrorum locum ipsis determinat Deus. §. XXXVI.

In monte Horebi construitur altare §. XXXVII.

Solemni federe ad verum Deum & auitam pietatem reuocatur gens Ebraea. §. XXXVIII.

Et primas victimas patrio more in patris sacris loco offert. §. XXXIX.

Preces itidem ad demonstratam pietatem & eatenus ad certa loca directas fuisse exempla monstrant. §. XL.

§. XL. §. XL.

§. XL. §. XL.

§. XL. §. XL.

§. XL. §. XL.

CORRIGENDA

Pag. 5. lin. penult. lege intelligendz. p. 7. l. 24. וְיָשָׁב
l. 22. sensus. p. 10. l. antep. pro t leg. sic. p. 11. l. 3. reuelat
l. 21. pro eo leg. loco. l. 25. GLORIA. l. 28. pro col. l. fol. p. 12.
secra- p. 13. l. 20. CAPPELLVS. p. 14. l. 26. diuino. l. vit. pro
p. 23. l. 23. ex. l. 31. eidem. p. 24. l. 13. quae. p. 26. l. 5. inhabitauit.
l. 1. illi. l. 25. וְיָשָׁב p. 31. l. dele in- Reliqua humanitati L

